

DE TYPHO CONTAGIOSO
CUM
APPENDICE QUAE HISTORIAM EPI-
DEMIAE TICHWINENSIS

ATQUE
NONNULLA ALIA, AD PRAXIN MEDICAM
PERTINENTIA,

EXHIBET.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
PRACTICA

QUAM
CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

UT GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR

ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

IOANNES AUER,

GATTNAVIO - WURTEMBERGENSIS,
MEDICI CIRCULARIS TICHWINENSIS MURERE FUNGENS.

DORPATI LIVONORUM

.....
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCLXXV.



Prooemium.

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. die xxiv. m. Nov. m̄cccxxv.

Dr. L. A. S t r u v e
h. t. Decanus.

Ut jam, cum annis 1813 et 1814 stipendia sub regis Wurtembergensis signis facerem, ita et postea, saepe occasio mihi oblata est, typhum contagiosum, non modo in nosocomiis amplissimis, sed etiam in aedibus privatis observandi; facileque cognovi, multa hujus morbi phaenomena, ad lectulos aegrotorum obvia, ab eis, quae in variis operibus annotari solent, valde discrepare; qua propter et laudatissimas medendi rationes plus minusve ad irritum cadere oportebat. Inde mihi semper cordi erat, quacunque data opportunitate, omnem in hanc rem advertere mentem; isti vero horrendo morbo tandem ipse propemodum succumbens, orciq; faucibus vix creptus, vel magis ad eum pertractandum commotus sum.

Tantum abest, ut mihi videar commentationem, omnibus numeris absolutam, elucubrasset, ut potius mancam illam minusque expositam ipsemet iudicem; attamen sperare licet, me tantum profecisse, ut eadem ad cognitionem medicam hujus morbi, quantumvis modice, provehendam, aliquid saltem pro virium tenuitate me contulisse, aequi iudices sint pronuntiaturi.

Observationes nonnullas practicas calci opusculi ideo subjunxi, quia mihi notatu dignae videbantur, speroque fore, ut illae aliis etiam, in similibus casibus dijudicandis, utilitatem quandam afferant.

Erunt fortasse, qui litteraturae defectum in culpam mihi vertant; ego vero credidi, me eam sine ullo omisisse incommodo, cum jam per se haec dissertatio consuetos excedat limites, quapropter hi non ultra erant extendendi; neque praeterea illa adeo necessaria visa mihi est, cum eximium cel. Erschii exstet opus, litteraturam medicam exponens, in quo omnia nuperioris temporis scripta, typis germanicis excusa, adnotata reperiantur.

Opera mea, huic argumento dicata, si lectoribus haud ingrata esset, beatum omnino me praedicarem. Ceterum in ardentissimis mihi votis est, ut, quae pauca praestiti, alios ad altiore indagine rei gravissimae, nec satis hactenus enodatae, incitent. Ita enim et pathologia et therapia typhi contagiosi majora indies incrementa capiet.

Typhus contagiosus.

Febris, hoc loco tractanda, longo jam abhinc tempore variis salutabatur nominibus, quae praecipue e diversis ejusdem causis, concentrationibus et complicationibus originem duxerunt. Inter haec magis communia sequentia sunt: Typhus bellicus, febris nosocomiorum, febris carceraria, febris pestilentialis, nervosa contagiosa, maligna, nervosa inflammatoria, febris extacta adynamica, hungarica etc.

Prævalens affectio nervosi systematis cum majori minorive alienatione ponderabilis principii, in eo contenti, arcessitaque simul debilitate, causis, febrem producentibus, haud adaequatâ, typhum efficit.

Irruit autem hic cum vel sine opportunitatis periodo. Quae, si adfuerit, ortum suum ex parte vel individuo ipsi, vel morborum characteri epidemice regnanti, aliisque multifariis circumstantiis debet.

Sine opportunitatis periodo, subito hominem adoritur hic morbus, et quidem praeviis plerumque duabus conditionibus: Imo. febris haec post refrigerium evolvitur, vel Ildo. labante animi dominio, post sic dictam fastidii perceptionem, (Ekelfalsen), nude nervosum systema, subitaneo terrore concussum et quasi paralyatum, resistendi vi imminutae ansam praebet.

Ita de typho contagioso sentientes, ejus decursum, tum simplicis, tum concentrati ad unum locum et complicati, — naturam, aetiologiam, prognosin et therapiam breviter adumbrare conabimur.

Decursus typhi contagiosi simplicis.

Recte hic in quatuor stadia distribui potest,

inflammatorium, nervosum, stad. decrementi et criseos, ac convalescentiae.

1) Stadium inflammatorium.

Praenuntiatur hic morbus genuum debilitate, animi dejectione, somni defectu, capitis obnubilatione, horripilationibus, inquietudine, universali eaque morbosa animi acquiescentia, ciborum appetitum depravato; quae symptomata passim sudore, sine omni febris accessione, interceptiuntur.

Typhi autem magis evoluti praecipuum symptoma capitis dolor est, qui per cranium, ad nucham et medullam spinalem usque extenditur; aspectus aegri mutatur, asperus vel languidus est, oculi rubent; vomitus consensualis nunc provenit, sequente plerumque alvi obstipatione; frigus excipit calor vehemens; pulsus frequentes, vel quandoque plus minusve celeres et duri reperiuntur. Febris remittit quodammodo, aeger mane ac vesperi conditionem suam deteriorem sentit, accedit fallax debilitas corpusque roborandi cupiditas. Lotium rubrum cum ardore ex-

cernitur; oculi magis adhuc rubent, lacrymas fundunt, membra sunt graviora auresque tintinnant; lingua, antea mucosae albo obducta, jam sicca et rimosa redditur. Post tres dies exactos, sudoribus sine euphoria prorumpentibus, cephalaea immittitur, ast deliria nocturna ei succedunt, aegrotusque prorsus nulla re movetur.

Elapso septem dierum spatio, quod primae periodi dimidium complectitur, apparent quandoque leves diarrhoeae cum caractere paralytice; quintum inter et septimum diem fortior epistaxis; septimo die prorumpit sudor, urina deponit sedimentum; pulsus duritie et celeritate destituuntur, atque fere perfecta adest apyrexia.

2) Stadium nervosum.

Aegrum major adhuc debilitas corripit, delirat oculis apertis; faciem offert sordide cadaverosam, linguam in medio mucosae subfuscae obductam, tremantem et ad instar carnis infumatae siccam; crusta tandem nigra, foetida, os et nares obducit. Calor insignis mordaxque pedetentim evolvitur, qui fugax est; aeger bibit cum

magna appetentia, ast tunc modo, cum a deliriis in viam redit, lotium aegre excernitur, nuceculam refert et qualitates ammoniacales. Musculi, antea voluntati obediētes, nunc proprietates induunt involuntariorum; apparent subsultus tendinum, carphologia. Aeger clamore sui conscius fit, sed mox demum circa res tristes, singulares ingratasque versatur. Sunt, qui uni eidemque ideae assidue inhaereant, nec facile nexum ejus ac consociationem cum aliis, quamvis expergefacti, obliviscantur; alii potius variis atque confusis rerum imaginibus occupantur. Typhomania denique saepiusprehendit aegrum, et morbo magis magisque gliscente, perfecta apathia.

Undecima et duodecima die non raro petechiae in conspectum veniunt, aliaque ancipitia phaenomena, ut: narium haemorrhagia, in hac periodo nondum ad crisis periculosam, sed pulsum adhuc magis irritatum reddens, vel haemoptoe, ardor sub cordis scrobiculo, spasmi abdominales; urinae et alvi involuntaria excretio. Aeger seipsum e lecto assurgit, summoque cum furore cus-

todem aggreditur, illius molimina justo modo coërcentem.

3) Stadium decrementi et criseos.

Circa decimum quartum diem, aegrotus, post vehementem exacerbationem, mox ad statum paullo tranquilliorē componitur, colatoriaque vasa demum hiant; cutis jam madescit, efflorescente interdum miliarī exanthemate, quod, imprimis in collo, initio albūm adparet. Os et nares humectantur; alvi et urinae secretio voluntati obediunt; oculi aperiuntur, nec jam sordidi sunt et languidi, ut antea, sed vigorem atque splendorem recuperant; crustae, quae nares antea obturaverant, oris itidem, solvuntur; deliria evanescent, et aeger nunc prima vice, post largum sudorem, dormit quidem, somno vero expergefactus, quasi post gravia molestaque somnia, querulus atque minime hilaris conspicitur.

Alyum tandem quoque copiosam, pultaceam, saepius aeger deponit; urina, turbulenta in quiete, sedimentum criticum ostendit; miliaria nunc rubent et desquamantur. Furunculi et abscessus quoque nonnunquam in conspectum veniunt. Ae-

ger sui quidem conscius est, systema tamen illius nervosum nondum normali gaudet conditione; magnopere emaciatus, nunc imprimis de magna debilitate conqueritur.

Tali modo absolvit morbus hanc periodum a 15mo. usque ad 21mum. diem, paulatimque in convalescentiam transit. Mera autem crisis typhosa non ante 21mum diem apparet, quae tum propulso largiori sudore et urina, aegro somnum recreantem conciliat.

4) Stadium convalescentiae.

Convalescentia hic plurimum tarda est, et quidem eo magis, quo morbus debile magis vel senile individuum invaserat, et quo magis ab initio causae debilitantes locum habuerant. In quolibet autem casu aegrum per tres vel quatuor septimanas vires deficiunt, cujus temporis spatio pili desluunt, nec non epidermis quandoque desquamatur.

Aegrotus, cum sensu convalescentiae, magnam vina bibendi appetentiam manifestat, fameque insatiabili vexatur; in adultis iunctus sexualis revocatur. Quaelibet sensuum affectio, licet aliis

non adeo grata videatur, cum exhilarat; in univ-
ersum admodum felicem et quasi sanio-
rem, ac antea, se existimat.

Normalis decursus typhi contagiosi, hic delineatus, saepissime atque singularem in modum variat secundum concentrationes ejus ad unum locum, secundum complicationes aliasque modificationes.

A. Aberrationes typhi contagiosi per concentrationes.

1) Concentratio ad caput.

Haecc, sub nomine typhi cephalici nota concentratio, facile evolvitur, praecipue praesente diathesi inflammatoria, et imprimis homines eruditos adoritur, quibus cerebrum crebra ac modum excedente mentis ingeniique intentione labefactatum est.

Aegrotus hic dolore vehementi atque profundo, per nucham ad caput ascendente, cruciatur; oculi rubent lacrimaeque refugiant; aspectus ferox est, facies valde ardens ac rubra; calor mordax, lingua sicca, cornea mobilis ac tremens;

et, ut paucis dicam, omnia symptomata typhosa ad summum ascendunt fastigium.

Facta effusione, cito cephalaea vehemens cessat, atque in delirium et vix interrumpendum soporem abit. Aegrotus nunc vel hemiplegiae succumbit, vel oculus alter major, alter minor redditur, et quidem, in posteriori casu, cum paralysis palpebrae superioris et spasmodica ejusdem retractione; in priori autem, cum prominentia bulbi, lethalem effusionem in cerebro indicante. Alioquin pupillae valde dilatantur, cum sychnonico motu respirationis et intortis oculis.

Hanc concentrationem major minorve consensualis affectio hepatis comitari solet, ab idiopathica passione hypochondrii dextrii bene distinguenda. Nulla enim hic adest gastrica secretio, sed quasi sicca turgescencia regionis hepaticae, illi proxime accedens, quae cum capitis concussionibus conjuncta apparet et facile quoque in supurationem abit.

Aegrotus, praesentibus exsudationibus, vel per hemiplegiam, vel sub deliriis et convulsionibus, serius ocius in statu semilethargico, cum sensu magni ponderis in capite, exstinguitur.

2) Concentrationes ad thoracem.

Formantur praecipue diathesi rheumatico-catarrhali.

Aeger hic magis sui conscius, minus delirat, quam in concentratione cephalica. Phaenomena autem pleuritico-typhosa manifestantur, quae a mera pleuritide eo discrepant, quod non doloribus pungentibus stipata, sed cum sensu ponderis in cavo pectoris, cum extrema lassitudine et facile insequenti haemoptoe incedant, sanguine hic quasi sua sponte exitum sibi parante, qui vi tussis haud ejiceretur. Cruor ipse vel colorem violaceo-caeruleum prae se fert, vel fuscum, intermistâ solutâ pulmonum substantiâ. Sputa, si qua adsint, sub-viridis coloris et puriformia sunt. Sudores enormes saepe prorumpunt, calor est mordax, et circa stadium criseos non raro phthisis pituitosa evolvitur.

Morbi mora plerumque brevissima est. Nisi forte omnem ejus fomitem susceperit thorax, nec cito hac sub forma aeger morti succubuerit, illi die decimâ septimâ, tanquam periculo crepto, gratulari licet. Si vero perfecte in pulmonibus concentratur typhus pleuriticus, tunc cito insequitur

mors, velut in epidemia Rademacheri, et fere sub phaenomenis, morti nigrae similibus.

Versus 17^{um} diem, pulmonibus quam plurimum sudores levamen adferunt, magna autem irritabilitate eorum remanente. Quo ocius appareant et sub-caeruleo atque hepatico colore tincta sint, sputa, eo magis gangraena et paralysis pulmonum metuenda est.

3) Concentratio ad abdomen.

Aegrotus talis vix cephalaeam accusat, nec delirat, usque ad eam periodum, quae paralyseos abdominalem complectitur, sub deliriis taciturnis orientem. Maior adhuc musculorum debilitas et lassitudo una cum sensu quodam morbozo, aegre definiendo, hic praesto sunt. Lingua mox ab initio albo obducitur muco, qui vero non tam facile colorem fuscum induit, quam in cephalica et thoracica concentratione; sed modo sine typhosa obductione, modo saturato colore rubro cernitur. Apparet vomitus, cum vehementia, praesentem gastricam complicationem longe excedente. Insigniunt autem praecipue hanc typhi formam diarrhoeae aquosae cum summa virium

prostratione, borborygmis et dolore obtuso in regione plexus solaris, incedentes.

Decursus hujus typhi abdominalis est lentissimus; saepe ille in febrem mucosam contagiosam transit, aegrumque, viribus exhaustis, sub facie hippocratica, et deliriis taciturnis, trucidat.

B. Aberrationes typhi contagiosi per complicationes.

1) Complicatio rheumatica.

Haec complicatio mox ab initio symptomatibus rheumaticis, febrem typhosam comitantibus, designatur.

Facile hic post dolores rheumaticos dentium, dorsi, lateram, artuum et cet. oritur pleuritica forma, quae cito in sic dictam febrem catarrhalem malignam, cum sensu ardoris sub sternone et sputis cruentis, abit.

Una cum symptomatibus rheumaticis magna observatur lassitudo; pulsus acceleratus, modo remittit modo intermittit. Frigida humidaque tempestas maxime hujus complicationis ortui favet.

2) Complicatio inflammatoria.

Caput quam maxime atque facillime aggredi-

tur, ac praesertim eo provenit tempore, cum multae pneumoniae grassantur.

Pulsus plenus et durus hanc complicatam formam praecipue indicat, qui autem, facta transudatione, plenitudinem suam ac duritiem amittit. Sanguis, venâ eductus, crustam phlogisticam prae se fert. Oculi inflammantur, facies rubet ac tumet, alvus sicca, urina rubra cum ardore excernitur. Morbus saepius rapide decurrit, atque periculi plenus est, si haec complicatio ventrem aggrediatur; cum nec inflammatoria diathesis, nec contagium facile eum sufflammare possint.

3) Complicatio erysipelatosâ.

Haec erysipelatosâ morbi indoles est conubium inflammatorii et gastrici fomitis, atque saepissime typhum contagiosum comitatur, praecipue in regionibus temperatis, nec non magis borealibus; ubi plurimum diatheseos mere biliosae locum occupat.

Systema nervorum abdominalium

Hic affectum est, ut et secretiones jam ab initio mutatae sunt; deliria autem nonnisi periodice subveniunt. Praesenti lassitudini sympto-

mata bilioso-gastrica associantur, cum multifariis phaenomenis in cute, parotidibus putâ, furunculis, abscessibus et exanthematibus rubris, ita quidem, ut typhus contagiosus hoc sub caractere fontem scarlatinae et morbillorum simul sistat.

Omnes ejus epidemiae exanthemate miliari (febris miliaris contagiosa) et gangraenoso decubitu distinguuntur, et, uti typhosae epidemiae, saepe recidivas admittunt, nec post 21 mum diem aegri negligendi sunt, quoniam hic crises pluries repetuntur.

Praesens cephalaea non ad totum extenditur caput, sed praesertim in regione frontali saevit. Os amarum, lingua mucô albido-flavescente obducitur; febrem ipsam pulsus valde celer, saepe dicrotus, ac calor mordax comitantur. Non raro initio morbi vomitus, diarrhoeae ac sudores apparent, crisin haud perficientes, ideoque potius pro symptomaticis habenda.

4. Complicatio gastrica.

Minus hic inflammatoriae indolis minusque reactionis adest, quapropter huic complicationi lentus longaeque durans decursus proprius est; oritur illa praesertim, ubi multi catarrhi grassan-

tur, temporeque belli apud milites, quibus modo abundantia, modo defectus nutrimentorum est.

Primis diebus, ut et in ulteriori morbi cursu, obveniunt symptomata, eis, quae erysipelatosam complicationem insigniunt, fere analogia, ut: appetitus deficiens, os amarum, fatuum, diarrhoeae, miliaria, abscessus, furunculorum, decubitus etc.; semper tamen initio hic minor irritatio animadvertitur. Praeterea haec complicatio valde prona est ad colliquativas muci secretiones vermiumque progenerationem; diarrhoeae tenues sunt, magis mucosae, linguae sordes pultaceae, sudores viscosi. Pulsus non adeo celeres et pleni, sed duri; cutis sub tactu ardet, saepeque calor mordax percipitur.

Hac quoque sub complicatione convalescens vires lentissime recuperat, saepeque multis morbis posthumis affligitur.

5. Complicatio biliosa.

Communiter non sine opportunitatis periodo haec forma aegros invadit. Signa erysipelatosi et gastrici characteris, cum prorsus mutata diathesi omninoque alienata secretionem in systemate praecordiali hic concurrunt. Aegrotus tensionem

tum dolore obtuso in regione hepatis atque ventriculi accusat; succedit vomitus materiae viridescentis, vel sedes liquidae foetidissimae. Progeneratio plus minusve flavi pigmenti per totum propagatur corpus. Primis jam diebus os amarum redditur, cum lingua, muco flavo oblecta; sclerotica flavescit, eodemque colore cutis, praecipue ad nasi alas et circa os, suffunditur. Sudor luteo flavo tingit colore, urina sedimentum latefitium deponit.

Sanguis, vena eductus, in serum flavum et mollem placentiam, coloris diluti rubri, in flavum vergentis, dividitur; pulsus duri, non tamen eo gradu, ut sub caractere inflammatorio, et, si qua crusta adpareat phlogistica, ea colorem flavo-viridem prae se fert.

Functio cerebri hic ex abdomine laeditur; delirium ferox manifestatur cum majori phantasiae exaltatione; cephalaea vehementi, tamque enormi siti, ut aeger credat, se non posse sat bibere. Anxietas summa et animi inquietudo cum extrema animi demissione et desperatione mutuo sese excipiunt. Aeger nullam operam nayat, ut

animus corporis vires sustentet atque erigat. —
Proxime huic accedit.

6. Complicatio putrida.

Intrat, cum phaenomena praecedentis characteris summum attingunt fastigium, atque alienatio humorum massae in veram dissolutionem et resolutionem abit.

Subveniunt hic facile vomitus niger, et plus minusve fuliginosae, cadaverosae ac plerumque involuntariae sedes; parotides suppurantes et gangraenescentes; magnae petechiae in toto prorumpunt corpore, bullae pestilenciales meraque gangraena; haemorrhagiae narium, pulmonum, recti, uteri, oculorum, aurium etc. apparent, cum sanguine soluto, cutisque transpiratione foetente; setum, sub cuticula, vesicatoriis elevata, contentum, cruentum reperitur. Sanguis solutus putridusque lentissime in suas partes constitutivas discedit, diu liquidum retinens statum et, quod tandem secedit serum, non modo flavum sed cruentum etiam est. Loco crustae phlogisticae, cutis mollis varieque colorata hic cernitur; placenta vix non prorsus deficiente, color sanguinis ad nigrum vergit, hincque citissime putrefit.

Putridam dissolutionem humorum passim morbus haemorrhagicus comitatur, ac semper evolutio caloris mordacis. Hujus autem vehementia variat pro majori minorive intensione febris, quam contagium excitaverit. In quolibet typho, ubi calor mordax inflammatorii quidquam secum fert et vagus est, modo hic modo illic adparet; morbus haemorrhagicus facile provenit, eo minoris momenti, quo forma morbi magis acuta est.

Statu colliquativo praesente, variis in locis evolvuntur in tela cellulari tumores aërei; eadem causae spiritui foetenti et ructibus, flatibus in deponenda alyo ubertim abeuntibus, ac meteorismo sub-esse videntur. Urina turbulenta, fusco vel perfecte nigro colore tincta est. Facile hinc illinc proveniunt decubitus, et quodlibet recens vulnus gangraenescit, quapropter gangraena nosocomialis hac periodo frequens cernitur. Quos hic morbus trucidaverit, ii perquam cito putrefiunt.

Singularem praeterea attentionem, respectu therapiae, meretur organismi reactio, et quidem

1) Praesentia reactionis cognoscitur: a) dolibus manifestis, et b) duritie pulsuum.

Quod dolores attinet, ii magni sunt momenti, si caput obruant, minoris vero, si in abdomine vel thorace saeviant; majoris adhuc censenda est pulsuum durities, licet haec non nisi tempore exacerbationis animadvertatur, quod praesertim vesperi fit. Si tandem dolores et pulsus duri una cum faciei atque oculorum rubore manifestentur, major inde reactio et diathesis inflammatoria concludenda est.

2) Defectum reactionis indicant symptomata plane contraria, obnubilatio capitis, cum proclivitate ad soporem, insomniis terrificis, oculis languidis, retrolapsis, saepe lacrymantibus, colore cinereo sub-viridi faciei, cum pulsibus denique magis remittentibus, qui facile reprimuntur. Sub exacerbationis tempore apparent insuper sudores viscosi, cute sub tactu frigidiuscula.

Praeter ea, quae hic recensuimus, necesse est, ut vitae praegressae ratio habeatur.

Quid e cadaverum, typho contagioso extinc-
torum sectione prodeat.

1) In cerebro sub sectione semper plus minusve cruoris, et transsudationis lymphae aquosae vel purulentae reperiuntur, praesertim vero, si

morbo character inflammatorius praecesserit, vel concentratio cephalica adfuerit.

2) Nervi eorumque ganglia variis in regionibus inflammatione neuroparalytica (Authenriethio sic docente) correpta, visui sese offerant, quae quidem in eo ponitur, quod neurilemma et medulla nervina cruore penetrantur, qui, cohaesione imminuta conspicuus, facilius solvitur in aqua atque in formam emulsionis, cum evolutione bullarum, gase repletarum, transit: quae omnia characterem sic dictae febris nervosae efficiunt illumque confirmant.

Haec alienationes respondent speciei concentrationis ipsiusque typhi. Varias enim concentrationes varias species typhi, atque abnormitates singulorum organorum et regionum systematis nervosi constituunt.

In concentratione thoracica seu typho pleurítico, pulmones sanguine fluido nigro impleti, hepatis subsimiles, duri ac compacti reperiuntur, neque tamen in eis lymphae effusa vel pus continetur; sin minus, textus pulmonalis diffuit in pulvem gangraenosam, si nervus vagus et intercostales, usque ad collum typhose inflammati

sint. Et ad nervos cardiacos interdum magis concentratur morbus; tum vero vasa majora purpureo rubro vividoque tinguntur colore; eorumque interna superficies rubedine vix delenda inflammata, ipsumque cor flaccidum apparet.

Quodsi concentratio ad abdomen fiat, (typhus abdominalis) praecipue tunicae ventriculi, ad cardiam usque et ulterius adfectae sunt. (Veteribus id sphacelus audiebat, quod tamen a mero sphacelo defectu foetoris et marcoris discrepat). Plexus coeliacus et oesophagus saepe hic partialiter tantum et quasi fornice intercisi, roseo colore conspicui et inflammati sunt. Haec rubedo nunc magis ad hepar, nunc ad intestina tenuia serpit, quo facto hepar nigro-caeruleum induit colorem pultaceumque redditur; tunica villosa vero, ex inflammatione neuroparalytica incensa, roseum prae se fert colorem, vel si alba adhuc sit, nervi saltem pone illam inflammatione correpti jam cernuntur.

Similes mutationes circa collum vesicae urinae et in utero conspiciuntur. (Res tamen parum has participare videntur). Eadem offerunt extremitate phaenomena, si artuum

dolores aegrum vexaverint, ipsaque externa cutis, quae plerumque sub finem typhi afficitur. Vibices, ecchymomata, petechiae ac miliaria eandem cutis alienationem indicare videntur. Manifesto hinc elucet

Natura typhi contagiosi.

Versatur autem haec, ut e supra expositis patet, in affectione inflammatoria nervosi systematis interioris, cum alienatione ponderabilis ejusdem principii. Hanc nervosi systematis affectionem sat confirmant phaenomena, quae in aegro adhuc vivo obveniunt. Illuc spectant capitis affectio, majori minoriue delirio concomitata, virium prolapsus insignis; status paralyticus plurimum organorum; inde surditas, viens hebetudo, lethargus, diarrhoeae involuntariae et urinae excretio, sonus gargarizationis in ventriculo et intestinis, cum aeger bibat etc.; varia insuper spasmodica symptomata, ut subsultus tendinum, convulsiones, vomitus spasmodicus etc.

Ex symptomatibus inflammatoriis nervorum efficitur, hoc in morbo systema vasorum quoque in passionis consensum trahi. Haec autem passio, typho regnante, pro ratione constitutionis aegri

annique temporis, varia esse solet, quam plurimum tamen indolem epidemicam sequitur.

Sub forma acuta et peracuta, semper fere constitutio robusta et indoles epidemica inflammatoria conspirant. Capitis hic vehemens affectio adest, oculi rubent, lingua saturato colore rubra, pulsus tensus, aestus insignis, delirio feroci, convulsionibus, vociferatione cum vertiginibus alternantibus.

Forma nervosa lentescens pulsum fere naturalem, oculos fixos languidos, delirium mite et subsultus tendinum secum fert.

Ex vario connubio harum duarum formarum caeteri gradus hujus morbi exsurgunt.

Quodsi tandem sub finem epidemiac typhosae systema vasorum adeo labefactetur, ut facultas ejus hunc morbum participandi immineatur, febres perniciosae tertianae apparent, haec mitra eum typum observantes.

Etsi febris, morbi socia, passim sesquiquarta die aliquam, ac 7a die veram crisin suam perficit, sudore etc., typhus tamen ipse nunquam ante septimum diem morbi judicatur.

Concentrationes partim indoles epidemica praesens, partim vero constitutio individui cum praevalente debilitate cujuslibet partis, determinant. Typhi contagium praeterea videtur quoque magnam in febrem vim exserere; cum enim irritando multorum dolorum, in dorso praesertim saevientium, causa sit, facilius diathesis inflammatoria evolvitur.

Altera ex parte, processus reproductivus incitabilitatis adeo reprimitur, ut proclivitas ad paralytin universalem prodeat, indeque dissolutio massae humorum; quamvis non raro homo ex pura paralyti moriatur, antequam humores dissolvi incipiant. Si vero plethora cum relaxatione adfuerit, facile colliquescentia et cadaverosae secretiones proveniunt, meram febris putridae formam efficientes.

Mitius contagium minores dissolutionis gradus producit — velut leucophlegmatiam seu hydropticam dissolutionem, saepe sola corporis intumescencia manifestatam.

Sequitur inde, typhum contagiosum in duas classes generales distribui posse; unde modo per

paralysin, modo per dissolutionem humorum, periculosus redditur.

Patet jam ex praedictis, typhum nunc mere nervosum esse, nunc mere putridum, nunc biliosum, alias pleuriticum etc.

Aetiologia.

Praedispositi sunt ad morbum, de quo agimus, praecipue, 1. Homines, constitutione corporis irritabili, debili ac tenera, praediti, quae vel adnata vel variis potentiis debilitantibus producta esse potest; 2. Homines, eximio ingenio felicibusque animi dotibus conspicui, quapropter literati omnesque ii, qui rerum imagines vividiori animo concipiunt, facillime typho contagioso succumbunt.

Morbus nulli quidem parcat aetati, saepius tamen juvenili et sexui muliebri insidiatur, quam proveciori aetati et sexui masculino. Datur praeterea et 3. haereditaria ad hunc morbum dispositio, multiplici experientia probata; integra enim non raro aggrediens familias, victimas sibi numerosas colligit.

Causae occasionales quoque admodum variant. Magis communes sunt 1. illae, quae; impendio massae humorum, irritabilitatem corporis universaliter augment. Tali modo morbum hunc provocant sanguinis jactura per menstrua nimia, haemorrhoides fluentes, venaesectiones, diarrhoeae, abusus purgantium drasticorum; ut et praegressae abnormes se- et excretiones, humorum jacturam insignem post se trahentes; illuc spectant ptyalismus protractus, diarrhoeae, dysenteriae, sputorum nimia secretio, lactatio nimis protracta; spermatis jactura per venerem immodicam, onaniam etc.; vel

2. eae, quae dinamico modo cerebrum et nervosum systema, uti supra dictum, afficiunt. Tales sunt continuas animi ingenique contentiones ac pathemata deprimentia, praesertim multa meditatio, curae, calamitates, anxietas, terror, tristitia; eaque, quae animum vehementer concutiunt, ut: honoris cupido frustrata, spes irrita, amor infelix, ira, invidia etc.;

3. eae, quae corporis restaurationem, ob jacturam continuam materiei organicae necessariam, impediendo, vires atterunt, ut defectus

nutrimentorum, vel ipsa fames; cibi pravi, corrupti, adeps rancida, caro semi-putrefacta, fructus horaei ac legumina corrupta. Hinc luce clarius est, frequenter typhum oriri premente annonae difficultate, belli tempore, ac generatim in rei frumentariae caritate et inopia.

4. Atmosphaera corrupta vel oxygenio orba: Talis autem esse solet post vastas inundationes, eisque in locis, ubi multi homines congregati degunt, praesertim, si debita mundities ac necessaria aëris renovatio negligatur; uti saepius in domiciliis pauperum, nec non in carceribus, nosocomiis, locis munitis ac navibus accidit, ubi interdum aegri, mortuorum instar, in unum locum coacervati et inclusi, miseram vitam trahunt.

5. Proprium typhi contagium, favente, vel epidemice regnante morborum characterem. Accuratius rem investiganti credere licet, quamlibet quoque febrem, faventibus caeteris circumstantiis, typhum contagiosum producere posse. Ipsam luem taurinam in hominibus, qui cum animalibus in contactu fuerant, carbunculum et subsequentem typhum produxisse, testatur experientia; qui, licet initio sporadicus, postea tamen epidemice propagabatur:

Prognosis.

Typhus contagiosus sane pertinet ad morbos acutos, eosque omnino periculosos ac horrendos. Prognosis eo infaustior est, quo graviores concentrationes ac complicationes praesto sint, et quo difficilius causae tolli possint, quae morbum generarunt. Aliae praeterea multifariae circumstantiae periculum plus minusve augere possunt.

Concentratio cephalica, ob facilem hic transsudationem, periculi plena est; ubi id momentum apprime considerandum, vitam aegri non nisi sub pauca transsudatione conservari posse, majorem autem, secretivo apparatu cerebri adeo manco, quantumvis saepe serius, certam adducere mortem.

Concentratio thoracica. Si ad hoc cavum omnis vergat typhosus processus, cito lethalis est: si vero et in aliis simul distribuatur partibus fomes morbosus, minus tunc quidem discrimen, ast facile phthisis pituitosa enascitur.

Concentratio abdominalis admodum periculosa est, praecipue cum vehementia sua

symptomata herniae incarceratae refert; fere semper enim talem paralysis ac mors sequitur.

Maxima tandem spes felicitatis eventus affulget, si morbus non ad unum quoddam cavum corporis concentratur, nec quamlibet partem prae ceteris afficiat. Complicationum autem periculum ex conflictu recensitarum concentrationum prodit.

Sic complicatio inflammatoria multum periculi adfert, si concentrationi cephalicae vel abdominali associetur; vera enim crisis diatheseos inflammatoriae tunc nullo modo locum habere potest.

Complicatio erysipelatosae ac gastrica non adeo periculum typhi contagiosi augent; uberiorem alvum vel furunculos in cute apparentes subsequens levamen, felicem spondet eventum.

Complicatio biliosa semper quidem magni est discriminis; ast, nisi ei concentratio abdominalis accedat, faustum saepius exitum sperare licet.

Infestior; et quae vitae semper insidetur; est complicatio putrida, praesertim, si

jam ab initio morbum comitetur, et aegrotus haemorrhagiis, quae hic provenire solent, admodum debilitetur.

Rheumatica complicatio contra vix periculum in typho contagioso minatur; et, qui hic sudores cum levamine prorumpunt, boni sunt augurii.

Consideranda adhuc sunt quaedam specialia phaenomena, praegnotin et exitum typhi contagiosi spectantia, magnam utilitatem medico practico, si animum eis advertat, allatura, haec quidem:

Prolapsio corporis ad pedes, ac maxilla inferior propendens, paralyseos instantis signa sunt.

Capitis circumactio, quum illud quasi pulvini insinuari videtur, affectionem cerebri ac lympham extravasatam indicat; non tamen semper lethale signum.

Diarrhoeae aquosae facile characterem paralyseos induunt, quaeque enim diarrhoea sine materia morbum magis ad plexum coeliacum dirigit; quae facta, in decursu ejus, aeger sui inscius fit ac sonus gargarizationis a potu deglutito redditur, quod symptoma revera praesentem paralysem in-

dicat. Ejusmodi diarrhoeae idcirco graves sunt ac periculi plenae, uti hoc probavit typhus contagiosus, qui annis 1813 et 1814 in Germania, ab exercitu gallico et foederato propagatus, urbes, rura ac nosodochia infestabat, innumerasque edebat strages.

Semicrassa excrementorum consistentia optimum sistit symptoma.

Epistaxis, circa septimum diem prorumpens, nec admodum vehemens, bonum pollicetur exitum, contra ominosa est, si 13mo die proveniat.

Aucta sensibilitas, organorum, sensibus inservientium, semper periculosior est, ac si contrarium adsit.

Singultus ac meteorismus, praesertim in fine morbi, plerumque morti praecurrunt proximae.

Excretio urinae imminuta, magnam debilitatem systematis vasorum indicat, ac suspicionem movet. Minctio dolorosa inflammationi neuroparalyticae colli vesicae propria est, unde quoque affectio systematis nervorum abdominalium conjici potest. Eundem statum lotium limpidum, aegros, indicare videtur.

Vomitus, praecipue irritus, quandoque paralytin ventriculi adducit.

Odor sudorum acidulus indicat initium, et qui ammonium redolet, summum gradum dissolutionis massae humorum. Sudor autem modicus, universalis ex tepida cute et insequentē euphoria, ut criticus considerandus est.

In oculo, qui appendicis cerebri et quasi speculi ejus vice fungitur; variae passiones cerebri clare depinguntur.

Aspectus languidus, vitreus quoque dictus, si post haemorrhagias vel diarrhoeas animadvertatur, parvi est momenti; sed, absentibus illis evacuationibus, virium vitalium jacturam indicat.

Oculi ignei inflammationem ac congestionem sanguinis in cerebro demonstrant.

Si oculi distorquentur, (strabismus) praecipue apud infantes, in acme typhi lethale apparet signum, minus periculum, si in fine morbi appareat.

Apparens voluminis augmentum et prominentia bulbi unius oculi, magnam transsudationem lymphae in cerebro, ac mortem indicat.

Pupilla valde magna, synchronice cum respiratione sese movens, malum signum.

Situs inquietus, jactatio aegri, summum irriationis gradum innuit.

Corporis mutatio in aegro irrationem exhaustivam indicat, et, si in mulieribus, alias verecundis, accidat, periculosum symptoma. Mali quoque augurii sunt fugae molimina tempore delirii. Tremor universalis nervorum debilitatis comes est.

Carphologia est partialis tremor ex nervorum, brachiorum ac manuum debilitate oriendus; colligi inde potest, horum nervorum in stirpe focum morbi residere. Durante cephalaea atroci, tremor et convulsiones buccarum, oris ac musculorum oculi, affectionem baseos cranii prostant; transsudationibus hic non raro finem morbo imponentibus.

Facies hippocratica labantis turgoris vitalis signum, ideoque ominosum est.

Color aegri caeruleus, ludico similis, in eâ nervorum ratione conspicitur, quae oxydationi sanguinis obsit, ita ut hic qualitatem arterialem non amplius consequatur, quod mox insecuturam paralyin systematis nervorum thoracicorum annunciat.

Nasus caerulescens, gangraenam ejusminatur.

Calor inaequaliter distributus idem significat

quod inaequalis incitabilitatis distributio. Quodsi focus processus typhosi in abdomine lateat, maximus hic loci quoque calor observatur. Calor mordax signum characteristicum processus typhosi constituit; nec a vita jam dependere videtur, nam, et illa extincta, remanere potest. Intensior calor mordax periculosus est, quoniam ex sanguinis solutione scaturit.

Quo intensius frigus initio est, eo major aestus febrilis expectandus. Extensus vero frigus, vim vitalem imminutam ac debilem probat. Omnem attentionem meretur marmorium frigus, gangraenam praecedens, ac constanter durans. In concentratione thoracica et abdominali, typhosae inflammationes gangraenescere, illud indicat.

Respiratio stertorosa cum mucî accumulati- que ac spasmis pulmonum conjungi solet; alias, si nulla adsit materies, statum paretico-spasmodicum pulmonum, ac saepius in fine morbi, ultimum conflictum vitae cum morte indicat.

Aphonia, periculosum symptoma, ex incipiente paralyi systematis thoracico-nervosi progignitur.

Pulsus, a norma valde recedens, nisi cordis vitiiis debeatur, magni est momenti.

Dolores in abdomine ex affectione systematis hujus cavi, vel inflammatoria concentratione scaturiunt, vel mere nervosi quandoque sunt. Quodsi concentratio inflammatoria vel ad nervosum systema, vel ad tunicas tubi intestinalis feratur, major minorve tensio observatur. Ventre sub tactu molli, sed in profunditate ejus duritie obvia, fere semper inflammationem typhosam occultam suscipiari licet.

Pectus, durante typhoso processu, vix vero dolore, sed potius anxietatis ac gravitatis sensu corripitur.

Cephalaea typhosa, semper in occipite magis saviens, affectionis cerebri signum exhibet.

Ad magis exoptanda symptomata pertinent artuum dolores, indicantes, morbi focum non in centrali parte nervosi systematis residere, sed potius sedem sibi in locis periphericis figere, quia producta morbosa per systema vasorum ad haec facile diriguntur. Hac sub concentratione typhosum servatum iri, speramus.

De magna anxietate tum praecipue conqueruntur aegri, si inflammatio typhosa nervos thoracis vel cardiam occupaverit; posterius consensuale phaenomenon est, e plexu phrenico originem ducens.

Si aeger somno quodammodo recreetur, vis reproductiva incitabilitatis integra in eo est, quamvis morbus plus minusve sit vehemens.

Quam saepissime talis momentanea recreatio, somno allata, crisi praecedit. Quodsi aeger matutino tempore pejorem se fieri sentiat, ac diurno, reproductivi processus major jam labes adest, ac morbus vel incrementum capit, ut vires colligi non possint, vel reproductivus processus revera pessumdatur.

Si aeger in quolibet haud idoneo situ dormiat, sopor est, nec bonum signum. Deliria ipsa passim minus periculosa sunt, ac sopor, illis enim irritatio adhuc subest.

Lathargus, in difficile expergefaciendis, ad cognitionem variarum quidem cerebri affectionum ducit, praecipue vero cerebrum per extravasata comprimi indicat.

Vomitus cruentus, qui a complicatione typhi cum febre flava et putrida ex dissolutione provenit, saepius aegrum interimit.

Quoad sordes linguae typhosae, animadvertendum, eas initio albas et solutas esse, ac si epidermis cutis externae diu macerata foret. Haec albedo et solutio aliquam adhuc reactionem prodere videntur, antequam mucus prorsus intereat; ast abhinc jam revera ejus vita marcescere incipit, et quidem contractione sordium, quae, velut omnes albae partes corporis nostri, si exsiccantur, flavescerentem induunt colorem. Quo saturatius ergo mucus coloratur, eo magis ille siccescit, ita quidem, ut tandem crustaceus evadat; quapropter sordes, initio saepe albae, tandem nigrescunt. Secedunt tunc integra frustula mucī exsiccati, linguam lacte rubram, ad instar carnis crudae, relinquunt. Contingit denique, velut sub formatione cuticulae cicatricis, (ubi prius formatae nunquam diu conspiciuntur, sed pluries denovo remoriuntur, quousque permanens enascantur), ut et iste mucus linguae alienetur, et iterum albidus, tandem flavus, non tamen hoc tempore nigrescens, et in saliva solubilis, progene-

retur. Haec alienatione desinente, prosiliunt sub mucō papillae, quasi ab exsudato errore rubentes. Saturatior haec rubedo idem significat, quod petechiae in cute et inflammatio neuroparalytica intestinorum. Quibus e phaenomenis erui potest, processus typhosi ultimum stadium adesse, illum nimirum ad papillas superficiae cutis concentrari. Et quousque lingua tam saturatum prae se fert ruborem, cutis functio nondum finita est, ac vel miliaria, vel sudor colliquativus, aliave typhosa exanthemata proditura sunt. Nec lingua ad normam restituitur, antequam cutis omnem processum typhosum perfecerit.

Parotis saepius quinto apparet die, nec critica est. Solvitur vero illa per crisin intestinalem vel pulmonalem; alioquin morbi sub decursu in suppurationem abit, aegrum exhauriens; non raro quoque in gangraenam, plurimum lethalem, mutatur, vel ad cerebrum repercutitur, mortem tum inevitabilem praenuncians. Massa, in illa contenta, acris, partes vicinas arrodens, eam minime criticam esse, demonstrat.

Miliaria, pro symptomate semicritico, inflammationi typhosae internae sub-analogo, cen-

enda; signa semper incerta, ac dissolutionis imperfectae, sunt. Repercussio eorum duplici modo fit; etenim vel a refrigerio ad pulmoues et cor migrant, aegrumque sub pulsu myuro eneant, si non illico ad cutem revocentur; vel intensa inflammatione typhosa, quasi intus trahuntur, absolute tunc lethalia. Quo ocius miliaria in decursu morbi apparent, eo pejora; quo serius, eo magis critica sunt.

Petechiae, ad instar aliorum exanthematum, quandoque criticae sunt; saepius vero dissolutionem humorum annunciant, inflammationi neuro-paralyticae tubi cibarii analogae. Quo magis dissolutionis sequelae, eo minus criticae sunt; majorem tunc habent circumferentiam ac non raro palmae magnitudinem adaequant; criticae contra, puncturis pulicum haud absimiles, ab hisce discernendae, quod puncto rubro in medio careant. Quae rite desquamantur, petechiae, maxime criticae sunt. Quodsi aegri morti succumbant, tardius putrefiunt, quibus criticae aderant petechiae.

Inter exanthemata suppurantia, quae circa stadium convalescentiae apparent, pemphigus suppurativus, vel scabies critica attentione digna

est, quae noctu efflorescit, sine umbilico viridescente, quippe quod illam a genuina scabie discernat.

Furunculi, in convalescentia sub complicatione erysipelatosi in conspectum venientes, saepe recidivas avertunt.

Decubitus suppurantes et gangraenescentes, sunt crises malignae. Gangraena ad os sacrum saepius cernitur, ac critica est, quae vero aliis in locis obveniunt, vix criticae ac potius signa dissolutionis massae humorum sunt.

Therapia typhi nondum evoluti.

Eliminatio contagii, in organismum suscepti.

Non multos adhuc ante annos opinio obtinuit, emetica vi pollere, typhum contagiosum in ipso ejus initio extinguendi, vel ipsam ejus evolutionem praepediendi. Hic medicorum error originem trahebat a caractere biliioso morborum, qui, post terrae motum in Calabria, per longum temporis spatium praevalens, cuique typho indolem biliosam impertiebat.

Ejusmodi praeconcepta opinio ac vulgaria persuasio in qualibet re medica, non semper quidem omni ratione caret, sed haud raro, veri speciem tota praeseferens, eousque propagatur, donec, morbi caractere longe alio apparente, plus detrimenti, quam utilitatis eam antulisse percipiat.

Haec incongrua remedii applicatio, quam nociva sit, typhus inflammatorius anno 1805 in Germania, post bellum Austerlitiense saeviens, demonstravit; cum multi emeticis porrectis interimerentur, aliis, quibus caput per hirudines ac similia depletum erat, convalescentibus. — Idem fatum subierunt et alexipharmaca, quae, quum antea in prima semisse praeteriti saeculi magnam acquisivissent famam, postea non sine noxa adhiberi posse putabantur.

Inde ergo consequitur, varias methodos, interdum magno opere nocivas, alio tempore cum fructu adhiberi posse; rectamque medicinam non nisi habita epidemici characteris ratione inveniri, qua perspecta non raro contingit, ut typhum in ipsis ejus primordiis extingamus.

Quapropter obtinente inflammatorio epide-

miae caractere, initio typhi vena cum fructu secabitur, calomelanos usu subjecto. Complicationi rheumatica e diaphoreticum, biliosae vero vel gastricae, emeticum vel laxans acidulum opponentur. Promptissime interea sudor contagium eliminat. Sublata diathesi regnante, pro re nata, portulacula infusi fl. sambuci vel chamomillae cum spiritu Mindereri, sulphure antim. aurato, et similia porriguntur. Si vero febris jam exanderit, nihil hucusque immotuit, quod contagium in ipsius decursu sufflaminae valeret.

Therapia typhi contagiosi in genere.

Morbum hunc curantibus praeprius inquirendum est, num systema vasorum, ob peculiarem diathesin, certam complicationem efformet, num videlicet typhus complicatus, vel merus typhosus processus sit. Sub forma lentescente potest typhus sine omni singulari inflammatoria, biliosa, aliave complicatione esse, sincerumque tunc typhosum processum exhibet.

Quodsi diathesis quaedam morboso processui typhoso evoluto jungatur, curandi lex haec semper esto, ut imprimis complicatio vascu-

lōsa, inflammatorius vel biliosus processus, debellectur, antequam medelam typhi, quataalis, aggreddiamur; hisce neglectis, aegri quam plurimum pereunt.

Lex illa, ad systemā vasorum pertinens, ratione typhi habita, finibus quibusdam circumscribi debet. Sub complicatione inflammatoria, evacuationes nunquam tam frequentes adhibendae, ut in mera inflammatione. Nec emesis in typho bilioso toties est provocanda, quam in febre biliosa. Ipsa nimia diaphoresis typho rheumatico haud conducit, licet pyrexiam rheumaticam simplicem interdum brevi tollat; facile enim inde exanthema miliare originem peteret.

Laxantia quoque talia eligendā, quae minime debilitent.

Etsi in febre inflammatoria effectus debilitans per venae sectionem, ex magno officio institutam, indicatus et utilis videatur, damnum tamen ea in typho inflammatorio adferret, quum typhosus processus nervosum systemā invadat, ac reproductionem incitabilitatis per se jam infringat. Quapropter non modo minorem sanguinis copiam, sed et modo, minus debilitante, educimus, vel potius, loco phlebotomiae, sanguisugas admittimus:

Quodsi diathesis inflammatoria sine venae sectione tollenda esset, promptissime id inunctione unguenti hydrargyrei fieret, quippe quod effectus debilitantes nimii quandoque sanguinis stillicidii, per puncturas hirudinum adducti, averteret. Nec minores cautelae circa evacuationia gastrica exiguntur; eaque adhibenda, quae minus debilitent; quapropter saepius emeticis, quam laxantibus locus concedetur, cum illorum effectus debilitans citius evanescat, horum diuturnior sit.

Secundo respiciendum est, ut, complicatione processus typhosi cum febre vasculosa obvia, concentrationes praecaveantur; ubi enim processus inflammatorius sedem figit, illic quoque typhosus processus validissime systema nervosum aggreditur, in concentrationis loco paralytin adducturus. Inprimis ergo nobiliora organa a tali morbi in eis concentratione tuenda, puta cerebrum, thoracis et abdominis viscera:

Tertia ratio versatur circa proclivitatem sanguinis ad dissolutionem, ex defectu debitae transmutationis venosi sanguinis in arterialem. Quae ergo solitum oxydationis processum adaugent, hic in usum vocanda, ut e. g. aer purus frigida

diusculus. Valet hoc praeceptum in omnibus prope typhi speciebus, excepta rheumatica. Munditiei insuper quam maxime studendum, — stragula renovanda ac cuique aëris corruptelae, per propriam aegri transpirationem et excrementa, occurrendum. Liqueat inde, transportationem aegrorum, alias propter aëris continuam mutationem, incommodam, eis bene conducere; oxydatione enim magis vigente, pulmones typhosum processum melius sustinent.

Per se patet, quibusdam typhi speciebus exanthematicis, et imprimis miliariae typhosae, quamcunque subitanam temperaturae mutationem perquam nocivam fore.

Quarta ratio habenda est, ut musculorum motus et intentio restringantur. Nil tam facile reliquorum systematum et organorum vires labefactat. Quamobrem ii, qui vires infirmas exercendo atque ambulando reficere, et ita quasi malo ingruenti resistere conantur, passim graviori, quam alii, succumbunt morbo.

Typhus jam per se vires adterit, si praeterea motu nimio ac contentione imminuta quidem, sed nondum plane deficiens systematis nervosi incitabilitas exhauriatur, omni hinc vi ad crisiu pro-

ducendam destituitur. Chylus productus vires vix restaurat, si jam prius reproductivus incitabilitatis processus labem contraxerit.

Eadem valent et de nimio usu potuum spirituosorum, incitabilitatem labantem similiter exhaurientium. Longe aliter res se habet, si de motu passivo aegri sermo esi. Sic e. g. vectio, praecipue per aquam; summam promittit utilitatem.

Quinta ratio est, ut nulla secretio prorsus supprimatur. Si quidem singularis propensio ad concentrationem in quolibet organo praesto sit, hoc per aliquod tempus intacto; alia organa incitanda erunt.

Jam vero, si omnes secretiones admodum torpeant, multa tum excernenda, corrupta, vitaeque inimica in corpore retinentur. Quare alvo liberae semper prospiciendum est; licet caute procedendum, — nec quid timeas, si alvus spatio 24 horarum nulla prodeat; sed si per 2 vel 5 dies absit, clysteribus blandis cienda; unde levamen cerebri quoque, hic plerumque adfecti, sequitur; alioquin modica dosis pulveris rad. rhei et similia idem efficiunt.

Majorem adhuc attentionem urinae secretio expetit, quae tam facile in graviore typho suspenditur, in magnum cerebri et nervosi systematis detrimentum. Frequentior potus exhibitio hic optimum est diureticum, et quidem emulsionis cum semine lycopodii vel cannabis, cujus principium narcoticum spasma quoque conducibile est. Simul frictiones sedantes supra pubem et annulos abdominales non sine fructu erunt.

Evitanda non minus quoque est secretionis pulmonalis totalis suppressio; quod vero non per expectorantia calefacientia, sed nonnisi per mucoso-saccharina fieri potest.

Praeterea attente circumspiciendum, num cutis sicca vel humida sit. Madentem vero illam reddere semper expedit; cui scopo sub intensiori calore lotio cum frigida, illo vero moderato, cum tepida optime responder.

Contra typhum ipsum nullum habemus specificum remedium, ut hydrargyrum contra syphiliticum virus; sed indirectam modo adhibemus therapiam.

Typhus gradatim in decursu suo evolvitur ex internis nobilioribus nervosi systematis regio-

nibus versus superficiem; donec morbosum productum eos attingat fines, ubi nervosum systema cum apparatu secreto confluit, et critica producta formari possunt, morbosum processum et corpore pellentia. Hac autem in via potest adhuc aeger morti succumbere; prosperis interim rebus; si morbosa producta partim per linguae sordes et auctam muci ac bilis secretionem; partim per sputa eliminantur. Ut vero perfecte judicetur morbus, illa producta ad cutem et renes insuper ferri oportet. Ast animadvertendum, durante hoc decursu, omnibus reliquis systematibus vim nervosam plus minusve imminui, ut idcirco; nervoso systemate normali stimulo orbat, imparia sint functionibus explendis.

Respiratio ac digestio mutantur quodammodo et imminuuntur; debilitas systematis vasculosi et muscularis ubique manifestatur. In vasculoso systemate magna propensio ad paralytin animadvertitur; pulsus facile intermittunt vel caprizant, nec continenter certam plenitudinem ac tensionem conservare valent: jam vero, systemate vasculoso magis magisque incitabilitatem suam amittente, nutritio quoque pessumdat aegrotusque

tabescit, quamvis phthisi haud obnoxius. Altera ex parte, cum systema vasculosum vi vitali adeo destituatur, humorum dissolutio majores facit progressus; nec tunc criticae, sed colliquativae prodeunt haemorrhagiae e sanguine haud coagulabili.

Facile quisque hinc necessitatem stimulantium volatilium intelliget, mero typho quam maxime conducentium; qui tamen, si modo mitis sit, viresque naturae sufficiant, nulla quandoque eget therapia.

Jam vero, si haec excludi omnino non possit, imprimis complicationes et concentrationes vel ex parte tollendae sunt, antequam morbus ipse curetur; directa enim medela complicationem exasperabit et crises spurias adducet.

Huic praecepto complicatio rheumatica haud subjicitur, quae mox ab initio, nisi concentrationes subinrent; balnea tepida ac stimulantia volatilium exposcit.

Haec stimulantia volatilium in nostro quoque morbo nervina esse oportet, sicuti in omnibus morbis, ubi systema nervosum hac ratione afficitur; sola irritatio nervosi systematis, absque grata in illud

actione, minime hic quadrat. Fini huic consequendo nil Valeriana accomodatius est, si jam naturae vires haud sufficere videantur. Quae antihystericum, nervinum, antisepticum sudoremque promovens, hoc remedium expulsionem morbi versus superficiem optime fovet.

Proxime ei accedunt flores chamomillae, radix serpentariae et generatim plurima volatilia remedia e regno vegetabili. Quodsi vero vasorum systema ad paralysin inclinaret, atque pulsus irregulares, nunc collabantur, nunc assurgant, ad sincera stimulantia systematis vasorum recurrendum est, Valerianae, videlicet, et similibus naphthae vel acida dulcificata adjiciendo.

Quodsi dissolutio majores faciat progressus, medela quoque antiseptica indicatur; quare sanguinis massa eis principiis erit impraegnanda, quae huic diathesi obstant; talia sunt: camphora, acidum sulphuricum, chinae decoctum et similia.

Altera ex parte, nervosum systema facile quoque subverti potest, eisque stimulantibus remediis opium addi oportebit, ita tamen, ut id parvis citoque sese excipientibus dosibus aegro porrigatur, et effectus secundarius narcoticus prae-

gressae dosis avertatur; hoc enim passim ad vigorem nervosi systematis sublevandum sufficit.

Quae praeterea respicienda sunt. sequentibus continentur: 1. Ne organa, morbo exterminando dicata, nimis irritentur; plerumque enim in typho nervi organorum secretivorum adfecti sunt.

Evitamus hoc incommodum, si praecipue complicationes ac concentrationes rite perpendamus. In concentratione thoracica expectoratio quidem promovenda, sed inflammatoria complicatio maximas requirit cautelas, ne nimis irritetur. Expectorantia semi-antiphlogistica, parum irritantia, ut: julapium e camphora acetosum, — flores benzoës ac senega hic optimo consilio in usum ducuntur; in illo remedio camphora paralytin nervosi systematis avertit; flores benzoës vero et rad. senegae ideo hic praedicantur, quoniam eorum stimulus nauseosus inflammatoriam tensionem praecavet. Hisce remediis externi insuper subjunguntur stimuli; et ut omnis anxietas ac convulsiones avertantur, quidquid refrigerandi ac recreandi vim habens porrigimus, poma quippe utrasque vinaceas, vel cum haec deficiunt,

syropum acidi citri cum paululo naphthae aceti et aqua, quod optime fructibus recreantibus substituitur. 2) Quodsi vero typhus, pro natura sua, crisin, in complicatione biliosa, per canalem intestinalem perficere molitur, vel febris mucosae faciem indicet, secretio tubi intestinalis sollicitanda esset. Si emeticum indicetur, radicem Ipecacuanhae adhibemus. Laxantia, proprie sic dicta, nisi sordes linguae solvi incipiant, nunquam exhibenda; illoque in casu non modo sedes aquosas, sed excrementa pultacea producant, necesse est. Parvae doses rad. rhei et calomelanos ad tales crises fovendas aptae sunt.

Praevalente bile, laxantia acidula, cum stimulantibus volatilibus nupta, adhibentur.

Circa tubum intestinale id adhuc monendum est, cautione opus esse, ne ille crises spurias suscipiat et per diarrhoeas aquosas debilitetur. Ea ergo remedia in promptu sunt, quae huic infaustae affectioni tubi cibarii adversentur. Si aeger omnia, quae bibit vel edit, mox ejiciat, inprimis remedio, gas carbonicum evolvente, ut potione Riveri ac sim. malo succurrendum. Si vero emesi dolores adjungantur, idem remedium cum

mucilage gummi arabici porrigatur. Diarrhoea aquosae cum intumescencia et doloribus obtusis abdominis, ac forsam jam cum manifesto sono gargarizationis, ut sine mora usu martialium coërceantur, exigunt. 3. Crisin per urinam, ut supra monitum, largo potu et inunctione externa cum oleo hyoscyami cocto adjuvamus; meris diureticis abstinemus. 4. Saepius tamen expediet crises cutaneas fovere. Fit autem hoc, omissis quae supra recensuimus, per vesicatoria. Domito inflammatorio statu per venaesectionem, sanguisugas vel usum hydrargyri, vesicatorium nuchae optimo cum fructu imponitur, ut cephalaea residua mitigetur. Eodem modo res se habet, ubi thorax aliudve organon internum praecipue laborat, quod, aucta cutis actione saepius optimo successu, liberari potest.

Enimvero si crisis non debito prodeat tempore cutisque valde torpeat, lotiones cum eis, quae oxygenium deponunt ac simul stimulant, remediis instituendae sunt; cum vino puta, acido sulphurico, aqua diluto, vel aceto camphorato etc. Sufficit autem interdum et sola cutis frictio ad crises retrogredientes revocandas. In singulari

quontaxat casu, cum crisis perquam cito retrocedens, periculum minatur, cutis aqua calida oleove tepido lavari debet, vel aliis magis stimulantibus remediis, ut spiritu camphorato, aqua saponata etc.

Quodsi tali pacto crises jam promotae sint, jam ad lenia roborantia progredi licebit, eo magis, si aegrotans debilis sit, ac diu antea cachexia quadam, cum febricula lentescenti conjuncta, detentus fuerit. Ejusmodi status criseos imperfectae subinde sequela est; et, qui hic subvenit, tumor pedum oedematosus, sine roborantibus facile in suppurationem abit. Ut vero aeger semper caute ac pedetentim roboretur, meminisse juvat.

Therapia in specie.

In primo morbi stadio, medicus omnem curam eo dirigat, ut primis septem diebus quamcunque concentrationem vel complicationem typhi sollicite observet, ac, si fieri potest, eas tollat. Quo ocius haec fiant, eo melior morbi decursus. Si multa reactio manifestetur, a primis jam diebus contra transsudationes, facile hic accedentes, et inflammationem neuroparalyticam agendum est.

Reactione manca, ad id solum animus attendendus, ne secretiones prorsus torpeant; alioquin, si omnis deficiat reactio, mox prima alterave die Elixirium acidum Halleri cum china et sim. porrigenda sunt.

Quod ad singulares attinet diatheses in massa humorum inflammatoria, minime hae sine damno negliguntur; nam si ad biliosam vel rheumaticam non satis respicitur diathesin, res facilius emendatu est.

1) In concentratione cephalica, non raro citissime, ac jam quarto quandoque die lethali, therapia sine omni cunctatione applicari debet; nec cephalaea vehementior suo arbitrio relinquenda est. Quae huic complicationi opponuntur remedia, sequentia sunt:

a) Venaesectio. Haec quidem promptissime diathesin inflammatoriam subigit transudationesque avertit; sed, altera ex parte, adeo debilitat, ut febris lentae nervosae vel paralysi ansam praebet. Plethorici, bene nutriti ac corpulenti, ea semper hac in complicatione egent. Quantitas sanguinis detrahendi, partim peculiari aegri conditioni, partim, ac praecipue, plenitudini et duritiei pulsuum respondeat oportet. Contingit haud

raro, ut durities pulsuum non mox sub sanguine e vena fluente, sed aliquot horis elapsis, immi-nuatur. Caute ergo procedendo et praemeditato consilio modicam sanguinis copiam, parvo quidem ex orificio mittimus, et, si crusta phlogistica in sanguine emisso appareat, denuoque durities inflammatoria pulsuum observetur, phlebotomiam repetimus.

b) Hirudines eisdem conditionibus praesentibus conveniunt, praecipue vero debilibus et infantibus idoneae. Haemorrhagia posthuma adeo interdum protrahitur ac pertinax est, ut omnia styptica eludat. Simpliciter ac secure hoc incommodum avertitur, si duo fila, contorta ex linteo carpto, puncturae hirudinis inducantur, quo pacto haemorrhagia subito sistitur. Securitatis gratia possunt adhuc illa fila fasciis comprimentibus, vel alio congruo ligamine firmari.

c) Fomentationes frigidae, quibus cerebrum tenerius est, vix conducunt, ac non nisi agrestibus aegris et in nosocomiis sunt proficuae. In affectione mere inflammatoria cerebri potius adminiculum aliorum remediorum sistunt; praecipuam vero utilitatem promittunt, si consen-

ualis cerebri passio ex gastrica complicatione proficiscatur, phrenitidemque, cum calore mordaci incedentem, hoc in casu saepius prompte tollunt. Applicatur frigus capiti ipsi optime glaciei contusae ope, vel aquae gelidae, vesicae taurinae inditae.

d) Hydrargyrus. Memorem hic esse oportebit, ejus usum proclivitatem ad sanguinis dissolutionem et nervosi systematis debilitatem sequi solere; caeterum ille inflammatoriam diathesin fortiter quidem, sed lente aggreditur, et ni per alvum ruat, inprimis efficaciam suam in hypochondrio dextro exserit. Quapropter in vehementi cephalaea nimis tarde, in diathesi scorbutica autem nocenter ageret. In cephalaea non adeo gravi ideo quoque opportunus, quod et ultra septimum diem infricari ejus unguentum potest.

Interne nunquam aegro, ad diarrhoeam probo, hydrargyrus exhibendus est, nec minus tum summe nocivus est, si nervosum systema ad paralyin inclinet.

e) Maiores adhuc cautelas requirit Emeticum. Biliosae tantummodo complicationi con-

venit, in rheumatica vero, nec non sporadice aucta muci et bilis secretionem non nisi perpensis aegri conditionibus administrandum est.

Ipecacuanha hic tartaro emetico praefertur, effectum magis debilitantem ac purgantem secum gerenti.

f) Vesicatoria nuchae vel pone aures initio rheumaticae complicationis cum fructu adplicantur; minime vero aliis conducunt complicationibus, quousque status inflammatorius vigeat. In putrida diathesi facile gangraenam adducunt.

Praeter enarrata auxilia, interne remedia refrigerantia et potus propinantur, talia sunt: acidum citri in forma limonadae, acetum vini cum syrupo et aqua, fructus recentes etc.

2) Concentrationem abdominalem saepe avertere licebit, si crises, febris socias, rite forebimus. Dum erises gastricae sunt ac modicae, non sunt turbandae, sin minus meteorismus oritur; si vero exuberent, moderandae sunt; quapropter intra 5um et 7um diem crises febris concomitantis adjuvantur infuso tenui florum sambuci vel radice Valerianae; addito sub complicatione rheumatica spiritu Mindereri, sub cataarrhali ve-

ro, sulphure aurato antimonii. Si tubus cibarius nimium suscipiat opus, decoctum rad. Althaeae cum mucilagine gummi arabici propinatur. Si vero dolores obtusi in regione umbilici ac diarrhoeae aquosae proveniant, remedia adhibenda sunt sequenti ordine: primo ferrum salitum cum gummi arabico; si haec haud sufficientiant; crocus Martis aperitivus adjungitur; in casu vero magis pertinaci, opil pauxillum in forma pulveris Doweri; excluso tamen ejus sulfate potassae, addi debet. Apparente posthinc alvo nigra, paralysis non amplius metuenda.

3. Concentratio thoracica: Saepius accidit, ut focus morborum processus initio in abdomine sedem figat, postea vero ad pectus migret. Quaelibet hic sanguinis detractio nociva est; et contrario systema vasorum ad crises parandas intendi debet.

Quum hic haemoptoe obvia saepius paralytica sit, id agendum, ut febris, ad crises perficiendas opportuna, ope chinae et camphorae excitetur. Camphoram in forma julapii cum floribus beuzoes exhibemus, sine quo corroboramento

phthisis pituitosa facile evolvitur. Anxietatem fructus recreantes, utrae vinaceae ac similia praecavent. Post haec externa irritamenta pectori, ut vesicatoria parva, admoveamus. Alvus non nisi clystere emolliente, urinae vero secretio addita prioribus senega, sollicitari possunt.

Stadium nervosum.

Postquam crises imperfectae febris, morbum concomitantis, depulsae sunt, symptomatibus phaenomenis cessantibus, stadium oritur nervosum. Hoc quomodo tractandum, sequentia docebunt.

Ubi multae causae debilitantes praecesserint, atque actio nervosi systematis in sanguiferum inhibita sit, succurrendum est ei remediis stimulantibus volatilibus. Ne quid vero nimis fiat, pulsus, veluti a nautis cynosura, semper consulendus est. Quodsi hic parvus ac celerior deprehendatur, modicis stimulis sepositis, plures eoque majores exigi, si vero eorum sub usu duret et acceleretur pulsus, nimis suggestum esse, concludimus.

Ejusmodi stimulorum usum praebent propriae hic dicta Nervina eorumque, ut ita dicam, ba-

sis, jam supra a nobis memorata, Valeriana. Huc quoque pertinent radix *Serpentariae*, *Angelicae*, — quae, sub diatesi putrida, cum antiseptiis, — sub spasmodica, cum antispasmodicis, — et, si epidemia hoc vel illo colatorio utitur, cum remediis congruis, vel si reactio desideretur, cum camphora, naphthis, nec non cum moscho, inuito connubio, propinari debent.

Quodsi aeger viribus prorsus exhaustis decumbat, cum cute sicca, variae naphthae hic praesentaneo auxilio sunt, quae tamen minus indicantur, si nondum omnis status inflammatorius subactus sit. Tali in casu camphora et moschus melius conducunt; ad posteriorem praesertim confugimus, si organismus, ad restituendum miliare exanthema, vi impellendus est.

Antispasmodica indicantur, si in stadio nervoso multi manifestantur spasmi, ut: abdomen retractum, vomitus et ischuria spasmodica, spasmi laryngis, subsultus tendium, os tremens etc: *Asa foetida*, si sputa simul promovenda sunt, et opium, ut antispasmodicorum praecipuum, in primis sub complicatione rheumatica, in parvis, repetitis et adscendentibus dosibus;

caeteris hic palmam eripiunt; ni congestiones ad caput, quas producere posterius solet, vel praesens inflammatoria complicatio, ejus usui, tunc summe nocivo, adversentur. Dubio in casu idcirco minimis dosibus ordimur, effectum observantes. Si thoracem spasmus invadat, extractum *Hyoscyami* cum mucilaginis porrigimus.

Jam vero haec remedia, exclusis naphthis, parum conveniunt, si morbus ad sepsin vergat, ac non nisi in connubio tonicorum, ut decocti *Chinae*, acidorum dulcificatorum, *Camphorae* ac simil: adhibenda. Viva vetusta acidula hic quoque locum sibi vindicant, et non raro decoctum *Chinae* cum acido sulphurico externe pro lotionibus cum fructu adhibetur.

Dissolutione massae humorum magis progrediente, cute viscida et si aeger *Chinae* usum internum aversetur, in cortice *Angusturae* amaro auxilium quaerimus.

Ne criticum tempus praetermittatur et ut colatoria pateant, magnopere est attendendum. Excipienda tamen alvina excretio, quae modo primis septem diebus libera servetur; quae serius quandoque desideratur, potius bonum exhibet

augurium, ni meteorismus subveniat; quo in casu per clysteres seu laxantia, quae haud debili-ent, ut radix Rhei, alvus sollicitanda esset.

Lotii secretionem hac in periodo larga potatione aquae cum vino, infuso refrigerato fl. Chamomillae, Chinae decocto, potu Sinensi, vel cerevisiae cum aqua, juvare licet. Nec Scilla nau-seosa, nec tinctura Cantharidum, sed potius Senega hic adhiberi potest, praesertim, si eodem tempore

Expectoratio fovenda esset; tum enim cum radice juniperi ac saccharo conjuncta, optimum sistit remedium, eo magis, quod, Hippocrate jam multisque aliis moneantibus, hydrocephalicus et exsudationis processus in cerebro, nec non parotis praecipue per expectorationem solvi, vel saltem averti soleant. Sputa apparentia mox capiti levamen advehunt, nec raro per expectorationem ii aegri sublevantur, quibus jam ominosus strabismus adfuit. Morbo ergo declivi, si praesertim cum stadio, sic dicto catarrhali, initium cepert, Senegam, gummi ammoniacum, flores Benzoës, ac si haec non sufficiant, saepe cum sulphure Antimoni aurato nupta; in usum vocamus.

Ne tamen nimia producat^r expectoratio, praecipue in sexu sequiori, meminisse juvat; alioquin phthisis pituitosa facile oriri potest.

Maximi autem momenti cutis perspiratio est, quum sine illa nunquam aeger a typho convalescat. Quodsi cutis semper siccitate, membranae pergamenae simili, laboraverit, ut die indicatorio mollis reddatur, si fieri possit, curandum; et quidem cum sit 5^{ta} dies pro septima — 11^{ma} dies pro 14^a, 13 et 19^a dies pro 21^{ma} indicans, tum die indice opium in forma pulveris Doweri, sine sulphate Potassae, huic fini accommodatum est. Si cutis simul ardescat, frigida superfunditur ac lavatur; calor mordax aceto et acido sulphurico diluto temperatur. Adjuvantur praeterea haec remedia diaphoreticis specificis, ut Camphora; Valeriana, Serpentaria; sub processu septico, China, sub diathesi scorbutica, pini turionibus etc.

Circa tempus criseos proveniunt non raro periculosa symptomata, et peculiarem curam exigunt:

I. Haemorrhagiae narium, pulmonum, tubi cibarii, nec non genitalium aliorumque partium;

quae tunc non quidem criticis moliminibus; sed potius debilitati et singulari spasmo vasculosi systematis originem acceptam referunt. Singularum corporis regionum actio praeter normam tum quoque augetur. Sanguis a minimis retrahitur vasculis, inque majoribus accumulatur; inde cutis aegri cereum induit colorem.

Ut tali auxilium feratur symptomati, Camphoram et Chinae decoctum repetitis vicibus porrigimus. Epistaxis insuper per compressionem refrenabitur. Pneumorrhagiae sale ammoniaco cum pipere, ut irritato ventriculo, irritatio pulmonum mitigetur, occurrimus, subjuncto clystere irritante. Quodsi talis haemorrhagia ex vera sanguinis dissolutione scaturiat, sanguine tunc vix coagulabili, illa quoque non adco vehemens esse solet.

2. Interdum et tunc temporis phrenitica irritatio caputprehendit, vel lethargus cum inquietudine aegri apparet. Praegressa transsudatio, accedente nunc parvo gradu dissolutionis, jam secundarium irritativum statum generare videtur; quapropter fomentationes frigidae ad caput et semicupium tepidum hoc in casu salubria erunt.

Si irritatione sedata, transsudationes adhuc remanere videantur, vesicatorium nuchae et sinapismi suris admoventur. Nil initio epispastica prosunt, sed ut transsudata resorbeantur, multum conferunt.

3. Meteorismus duplicis progeniei esse solet; velenim ex paralyti appropinquante, vel ex fermentatione in tubo intestinali natales petit. Utroque in casu paralysis in ipsis primordiis inhi-beatur oportet. Posteriori causa locum habente, Jalappa vel radix Rhei cum oleo aethereo, tam Menthae piperitae quam Foeniculi, vel spiritus salis dulcis, aether sulphuricus et sim: subsidio sunt. Externe linimentum camphoratum abdomini infricatur et cataplasmata aromatica tepida imponuntur.

4. Urinae retentio ab inflammatione neuroparalytica colli vesicae, vel a spasmo oriunda, summas aegro molestias adfert, atque organismum irritando, non raro, quo minus crise perficiantur, impedit; cum hic autem spasmi catheteris inductionem passim non admittant, ad ea recurrendum, quae supra laudavimus. Vid. p. 46.

5. Decubitus gangraenosus. Si jam

quocunque in loco macula erysipelatosâ animadvertatur, remedia stimulantia adstringentia necessaria sunt, e. g. decoctum cort. quercus cum Camphora vel vino; quam plurimum hic autem praestat plumbum, principio adstringente seu, quod vocatur, tannino junctum. Rp. cortic. quercus \mathfrak{v} . coq. c. aq. fontan. \mathfrak{v} xxx ad colat. \mathfrak{v} xii, adde extracti Saturni \mathfrak{v} β. Filtretur et quod in filtro remanet, detur ad ollam. S. bis quotidie magnitudine nucis avellanae imponendum. Quodsi gangraena ulterius pergat, incisiones, non tamen usque ad vivas carnes, faciendae, et antiseptica in usum vocanda sunt: pulvis et decoctum Cinchonae, balsamum Arcaei cum Camphora; carbo candefactus et recenter pulveratus ulceri gangraenoso optimo cum fructu inspergitur; cujus virtus absorbens jam diu innotuit, foetorem conclavium aegrorum non minus ac ulcerum singulorum tollens. Largior suppuratio usum adstringentium externum, ac dietam lautiozem, vinum, carnes et Chinae decoctum interne exigit.

Gangraenae pedum nil amputationi prodest atque de aegro, ita affecto, plerumque actum est. Carbunculi incisionibus et antisepticis tractantur.

Ut parotidibus medela adhibeatur, expectoratio incitanda est; retrocedentibus autem, vesicatorium et caustica imponuntur.

Causae et cura recidivarum.

Omnia, quae in peragendis vel jam peractis criticis diebus admodum debilitant, ut nimius muscularis motus, coïtus, refrigerium, indigestiones etc. facillime periculosas saepeque lethales adferunt recidivas, vires quam maxime prosterendo.

Quandoque tales recidivae, qua reïteratum opus eliminationis considerandae sunt, quum aegrum, toto morbi decursu exhaustum, vires deficiant ad perfectam eliminationem omnium decompositarum materierum, ac denuo reactio sub nova febre expergefiat, ad perficiendam criticam eliminationem necessaria. Haec imprimis metueuda sunt, si aeger post primam crisiu haud perfecte restauratus, languidus et inquietus maneat, cute paululum sicca.

Liquet hinc, omnia, quae convalescentes a typho debilitent, fugienda esse; neque eorum ira, quae facile exardet, si, quae saepius, more puerulorum, insipienter postulant, eis denegan-

tur, a medico temere est provocanda; quae enim flocci pendere videntur, eos non raro ad furorem incitant, qui fugacem saltem fatuitatem producere potest.

Quoad victum, frequentius potius, quam multum una vice, exhibendum est.

Communio autem diaetetico errore, debilitas adhuc supertes ventriculi, per oxydationis processum, in statum pareticum interdum abit; quapropter emeticum ex Ipecacuanha administratur, ut materies ventriculum gravantes ejiciantur, postea Magnesia carbonica ac similia exhibentur. Sinapismus interea regioni ventriculi applicatur, et, ut congestiones ad debilem ventriculum avertantur, blanda diaphoretica propinantur. Denique, secundum recidivae decursum longiorem breviorēve, cura posthuma absolvitur, primo in casu a volatilibus ad tonica, in posteriori vero mox ad tonica remedia progrediendo.

Morbi posthumi eorumque cura.

Communiter in imperfecto sanitatis sensu post crises positi, et sequentes sunt:

1. Memoriae hebetudo, habitus animi puerilis protractior, hemicrania; quae omnia quam saepissime exsudationes, non prorsus resorptas, sequuntur, atque optime diureticis, a capite derivantibus, vel Arica, actionem vasorum lymphaticorum intendente, tolluntur.

2. Amaurosis, tinnitus aurium perpetuus, cophosis. Diuretica hic quoque acria, ut tinctura Cantharidum etc., pulsu irritato, cum nitratis Potassae nupta, et semper cum mulligulosis porrigenda, indicantur, parti capillatae interea capitis mixtio ex sale ammoniaco cum calce viva et alcohole vel aqua; alias unguentum e tartrate Stibii et Potassae, vel unguentum acre infricatur.

3. Haud raro ex debilitate relinquitur in pectore proclivitas ad tussim cum haemoptoë et anxietate. Jam ad vires pulmonum roborandas frequentior oscillatio ac montium ascensio, viribus tamen minime intensis, optime certe conducunt. Nimiam vero incitabilitatem vel irritabilitatem pectoris per clysteres emollientes derivamus, et affectioni asthenico-inflammatoriae nitrate Potassae, vel, quod melius est, Calomelanos ope medemur. Supervenit autem quandoque et

4. Cordis debilitas, cum anxietate hypochondrica, animo turbato et pulsu intermittente. Praeter derivantia, antiphlogistica, aetate provectoribus hominibus et antispasmodica necessaria sunt. Huic fini idonea sunt radix Rhei, Asa foetida et digitalis, adjunctis blandis antiphlogisticis remediis in juniorum usum.

5. Abdomen facile pronum ad diarrhoeas, sanguinis profluvia, varices haemorrhoidales redditur; quo in casu ferrum cum sulphure auxilium praestat.

6. Ulcera et abscessus in cruribus proveniunt, modo ex debilitate, modo vero magis critica, chronicae impetiginis ad instar oriuntur, ac therapiam, eorum naturae adaequatam, exigunt.

Prophylaxis contra typhum contagiosum.

Plerumque, morbis epidemicis acriter vigentibus, homines, relativesani, infectionem metuentes, auxilium ac consilium a medico expetunt, ut periculum effugiant.

Atque sane tali desiderio quodammodo satisfieri potest, dummodo characterem morbi dominantem rite perpeudas. Quodsi typhus biliosam

complicationem ineat, et homini adhuc sano portio pulpae Tamarindorum cum fructu exhibebitur, ut tali remedio secretio alvina libera servetur, qua morbus hic epidemicus ad eliminanda morbosa producta utitur, et adeo normalis corporis temperies sine accumulatione tutius sustineatur. Oxydationis defectu universaliter obvio, potum acidulum in sufficiente quantitate dare oportet; et si jam materies secretae ad evacuandum paratae cernantur, eae sine mora, viaque, cui proximae sunt, eliminandae erunt. At, si indoles epidemica characterem inflammatorium praeseferat, vena utiliter secabitur, ut praeparatoria formatio crustae phlogisticae avertatur, et pauxillum nitratis Potassae, ac Hydromel propinabitur.

Indole epidemico-rheumatica regnante, dia-phoretica et semina Phellandrii aquatici, cutaneam perspirationem leniter fovendo ac lotium turbulentum reddendo, valent quandoque diathesin dominantem sufflaminare. Opera ergo navanda, ut haec gliscens, atque in sanguinis massa oriens, diathesis emendetur, eaque tempestive fiant, quae alioquin in felici morbi epidemici decursu sua sponte saepius perficiuntur.

Jam vero optimum praeservativum est fuga ejus loci, ubi morbus ortus est, quod saltem initio epidemiae, serius autem non nisi tunc utilitatem adfert, si forsitan remotissima quaedam regio peti potest, quoniam contagium typhi admodum volatile, primo ab una platea ad alteram, hinc ad urbes, imo denique ab alia regione ad aliam, aëris ope propagatur.

Altera ex parte, nulla causa occasionalis morbum tam cito excitat, ac virium infirmitas, subitaneaque temperaturae vicissitudo. Quamobrem refrigerium praesertim evitare, eisque in locis habitare oportet, ubi atmosphaera non adeo tepida, pura tamen nec manifestis temperaturae vicissitudinibus exposita, sit.

Modicus usus potuum spirituosorum concedi potest, quaevis vero opera, vires exhaurientia, interdicens,

Praecipue vero infectioni occurrunt omnia ea, quae massam corporis universaliter diminuant, quoniam eo quidem aequilibrium inter massam movendam et vim motricem restituitur. Optimo ergo consilio victus communis quodammodo restringetur, ne saltem ventriculus molestetur.

Applicatio cucurbitularum vel parva venaesectio hic quoque locum habebunt.

Subtracta sibi hoc modo nutrimentorum consuetorum aliqua parte, motus liberior fit, virium usus solutiôr minusque impeditus, neque magis illae consumuntur, quam pro digestionis ratione liceat.

Quod climaticum attinet momentum, praecipue ad calorem ac frigus, et ad memoratam superius mutationem quantitatis oxygenii in atmosphaera, referri posse videtur. In regionibus calidis zonisque torridis necesse est, ut respiratio per refrigerationem et oxydationem aëris promoveatur; quare conspersio conclavium cum frigida multum affert commodi. Tali modo Europaei prope sinum maris Persici eo quidem a morbis defenduntur, quod plurimam dici partem, aquae immersi exigant.

Hacc praecavendi ratio autem tum modo salutifera est, si refrigerium non admittatur, alioquin enim effectus ejus prorsus sanitati contrarius esse solet.

Summae praeterea munditiei conclavium studendum, quotidianaeque eorum ventilationi; ita

dem nimia hominum frequentia in spatio angusti-
 orem praecavenda.

Medicus, cui quotidie aegros visitandi in-
 cumbit officium, quam maxime infectioni expo-
 nitur, eoque magis se tutum praestare debet.
 Pertinet hoc praecipue ad eos, qui typho nondum
 laborarunt; qui enim huic morbo semel obnoxius
 fuerit, immunis quodammodo est, ac, si forsitan
 infectioni succumbat, raro morbus lethalem se
 prodit.

Antequam ergo aegros visitet, leve jentacu-
 lum, — poculum vini generosi cum pane sumat.
 Tacto aegrotorum pulsa, vel contrectatis ligami-
 nibus, ob decubitus gangraenosum et sim: adhi-
 bitis, manus aceto vini abluat; evitet subitaneam
 stragulorum aegri detractionem, vel omnino ali-
 quantum temporis ab eo discedat, ne vaporem
 ingratum et nocivum, sub stragulis collectum,
 inspirare coactus sit.

Finis aegrorum visitatione, vestes in aëre
 libero ventilentur, ac lintea renoventur, oportet.
 Animum tandem, praesertim in aëre libero, re-
 creare expediet. Colloquia oblectantia inter epu-
 las; animi serenitatem quoque adducunt, quae

tum optimum se exhibebit prophylacticum, si
 modo temperantiae praecepta haud negligantur.

Remotio contagiorum praesentium in
 genere.

Remedia, quae huic fini inserviunt, rite in
 duas classes distribui possunt, in physica et
 chemica.

A. Remedia physica. Quomodo con-
 tagia aërem atmosphaericum incant, nondum sat
 innotuit.

Vapores materiae, puta elasticae, cum aëre
 ea communicare videntur. Hic autem status elas-
 ticus vaporum contagiosorum ab externo calore
 pendet, cum illi, dempto calore, formam guttaceo-
 liquidam recipiant.

Jam vero dantur corpora, quae modo mini-
 mo caloris gradu, si elasticam eorum formam
 respicias, egere videntur. Huc pertinet glacies,
 — quae, licet insigni frigoris gradu gaudeat, sub
 exiguo tamen calore jam vaporem a se propulsat,
 qui in minori temperatura elasticitatem suam re-
 tinet. Hisce perpensis, liquet, quoad contagiâ
 scmovenda; parum

1. **Frigori tribnendum esse, licet intensius frigus vapores contagiosos ex aëre depellere videatur, multaeque observationes extent, morbos pestilenciales post fortius frigus desisse, ac typhum contagiosum tempore hiberno, et in aëre libero, mitiorem fuisse; quod saepe in transportatione typho laborantium animadvertitur.**

Vapores contagiosi, frigoris ope, in formam guttaceo-liquidam redigi possunt et quidem ita, ut odor eorum nidorosus et infectionis capacitas concentratur, veluti experimenta **Mareati** docent, qui, cum phialam, glacie repletam, conclavi typho aegrotantium intulisset, vaporem, animali materia impraegnatum, supra phialam praecipitari, observavit, qui collectus ac distillatus ammonium prodidit. Hic vapor continebat ergo materiam animalem, quae sub forma solida sisti potuit, neque a verisimilitudine abhorret, hanc contagii vehiculum esse.

Manifesto inde perspicitur, frigus per se contagium minime delere et tantummodo aërem purificare; quam periculosum porro sit, iis locis commorari, ubi aër per frigus contagio liberatus videtur, quoniam tunc vapores contagiosi non omni-

nino extincti, sed per condensationem tantummodo praecipitati sunt. Intelligitur nunc quoque, cur tam facilis infectio sit in regionibus torridis, si nox illic frigida sub dio exigatur. Quodsi advena in regione paludosa dormiat, ros matutinus in illum delabitur, jamque altera die febre saepius corripitur; cum indigenae earum regionum, sollicite duntaxat corpus contegendo, tuti evadant. Patet denique, cur illi homines lectos suos arboribus, vel habitacula palis superstruant; regiones enim superiores semper puriores sunt, rore plerumque ima petente. Ad depellendam contagia conferre putatur:

2. **Ad aucta temperatura.** Eae materiae, quae, igni ardenti immissae, sine destructione candescunt, ut pecunia metallica ac sim.: a contagio, illis adhaerente, mox liberantur. Calor vero modicus, secundum experimenta in universum instituta, contagium vel magis activum reddit. Hippocrates quidem jam sua aetate Athenas, ignibus accensis, a peste liberare in animo habuit, quod tamen contagium modo volatilius reddisset. Similia exempla ex Londino et Massilia referuntur.

Isdem quoque principiis innititur facilis infectio opificum, iguemtractantium, et irritum Guytoni-Morveau experimentum, cum foetorem carceris, 290 pedum cubitorum spatium aequantis, stramine desagrato abolere haud potuerit.

Chénat, Francogallus, observavit, homines, quos in combustione rerum, peste infectarum, fumus attigerit, mox contagio succubuisse.

In singulis casibus calor protractus contagium decomponere valet, licet, quoad vim, illo comburente inferior sit; at hoc potius diuturnior ejus mora efficere videtur. Ideo lotio protracta, et modus agendi, quo materiae, quas miasma nosocomiale ac sim: penetraverint, per aquam fervidam trahuntur, magnae utilitatis sunt, nec minus quidem ac vestium excoctio, quibus scabiosi induiti erant, qui propriis vestibus denuo facile inficiuntur. Eodem modo furnus calefactus contagium febris flavae sufflammat, si ei vestes aliaque injiciantur.

Liquet hinc ergo, calorem modicum nec perpetuo adhibitum, minime contagio delendo parem esse.

3. *Aër liber.* Contagium, diutius inclusum, indelebilem propemodum vigorem adipis-

citur, nec desiderantur exempla pestiferi et variolosi contagii, quod, mercibus adhaerens mercatoris, in aëre libere permeante, spatio 40 dierum extinctum sit, cum caedem merces, loco incluso asservatae, nonnisi 100 diebus elapsis, mercatoribus secure tradi potuissent.

4. *Aqua.* Sola quidem contagium non delet, sed si corpora infecta ei immittantur, illud modo abluere videtur; aquam tamen in affinitate quaedam cum contagiis esse, eo demonstratur, quod odor ex aëre, contagio inquinato, in aquam transeat, item quod contagium, aqua dilutum, vim contagiosam retineat. Exemplum variolae praebent. Lotio sola ligaminum, contagio inquinatorum, in nosodochiis nunquam tuta est, nec nominatim quoque in febre puerperali et gangraena nosocomiali; tales enim materiae, siccatae denuo inficere possunt.

5. *Quid inhumatio corporum infectorum efficiat, ignoramus.* Ni omnia ea delet contagia, ut pestiferum et variolosum; certe tamen contagium febris flavae sufflammat. Sic vestes, quas viverra putrefacta conspurcaverat, ab intolerabili odore, non nisi per inhumationem liberari

potuerunt. Agit autem probabiliter inhumatio proprio oxydationis processu, quod rubigo, ferrum facile sub terra infestans, probare videtur; aqua hic forsitan decomponitur.

B. Remedia chemica, fortiter oxydando, eximia vi pollent ad exstinguenda contagia; atque Carolus Michael Schmidius et Guytonus Morveau optime revera de genere humano meriti sunt; primus ob fumigationes acido-nitricas, posterior vero ob vapores acidi muriatici oxygenati.

Fumigationes acido-nitricae fiunt, cum parti uni nitri pulverati aquae decima pars immiscetur, ac caute instillatur pars una acidi sulphurici concentrati sub perpetua massae agitatione; calorem, hinc proveniente, ope fornacis calidae vel carbonum ardentium, vel, quod melius adhuc, balneo arenario sustineto, donec mixtio vapores edat. Ne tamen calor usque ad 80° Reaum. ascendat; sin secus, vapores rubri nitroso-acidi evolvuntur, contagium minus perfecte exstinguentes.

Vapores acidi muriatici oxygenati constant ex 3 partibus salis culinaris, (muriatis sodae), 2 p.

oxydi mangani nigri, superfusis 2 partib. aquae cum p. 5 acidi sulphurici, mixtioneque saepius agitata eliciuntur.

Cum vero sufflendi negotium saepius hominibus improvidis committatur, melius forsitan methodus sequens adhiberi poterit: Salis culinaris part. ij Oxydi manganis nigri p. j. aquae regis (Acidi chlorino-nitrosi) p. vj. Mista, in vasculo idoneo supra fornacem ponantur, et omni bihorio in cubiculo inquinato circumportentur, per intervalla iterum aquam regis adfundendo. Hoc modo simul vapores nitrici et muriatici evolvuntur.

Prima virtus in exstinguendo foetore apparet. Quodsi miasma lectis, parietibus aliisque locis adhaeret, omnia tali acido fluido lavanda sunt, et nominatim in febre puerperali et gangraena nosocomiali. Sin minus, supellex lignea, nec non parietes deradi, ac postea, apertis fenestris, dealbari possunt. Lintea et stragula, antea cum aqua lota, per mixtionem, supra memoratam, quoque trahi expedit.

Typhosis, nominatim iis, quos peripneumonia typhosa corripit, hi vapores non raro utiles

sunt, quamvis pneumoniae merae damna afferant.

Minus congrua remedia antimiasmatica sunt quae sequuntur: 1. Fumigationes acido-sulphureosae, praesertim in spatio clauso; illae enim organica principia fortiter decomponunt, uti ex earum vi, colores destruente ac odores tollente, satis patet. Adhibentur autem illae cum fructu ad vestes scabiosorum, typho detentorum, purificandas, quapropter supra labrum, aliudve idoneum receptaculum, cui focus cum carbonibus intromissus est, ac sulphur injicitur, suspendantur. Ceterum vestes in conclavi expanduntur ac foculi ope cum sulphure fumigantur. Inter aegros tamen hi vapores suffocativi minime adhiberi possunt; nec ad aërem purificandum adeo valent, ut vapores nitrici ac muriatici.

2. Verisimiliter utilitate horum vaporum ducti, pulveris pyrii deflagrationem salutarem multum judicarunt, qua in navium stegis plerumque utuntur; quod tamen erroneae sententiae originem debet, quoniam aër per gasa, quae sub combustionem pulveris pyrii evolvuntur, impurus potius redditur.

In peste Mosquensi an. 1770 pulvis pro suffi-

mento. pestifentialis nuncupatus, in usu erat, ex sulphure, nitro, baccis juniperi, myrrha, olivano ac sim; constans. Ast talis inflammabilium compositio in alium prorsus finem excogitatus videtur.

3. Acetum tanquam debile chemicum remedium agit; ad destruenda iniasmata interim non raro idoneum, in conclavis solo vel sub lectis collocetur, vel, quod magis commendarem, solum eo adspargatur. Magis detrimenti ac utilitatis illud affert, si ferro vel lapidi caudenti superfundatur; combustum enim alia prorsus principia progenerat.

4. Alcalina contagia mitigare tantummodo videntur, et quidem caustica, quod ex cauterisatione pustularum syphiliticarum primariarum, et lotionem vulnerum, a morsu canis rabidi ortarum, ope solutionis lapid. caustici colligi potest. Si vero lymphatica vasa semel contagium exceperint, infectionem totius organismi avertere non possunt.

Quilibet arrodens processus facultate gaudet, contagia destruendi, quae acidis non minus ac alcaliis propria est. Huic experientiae iunittur

quoque contagiorum remotio, corporibus solidis adhaerentium, quae quolibet liquido caustico purificari possunt, ni modo ab iis ipsa destruantur.

Appendix.

I.

Historia epidemiae typhosae,
 quae annis 1821 et 1822 in urbe circuli Tichwiniensis ejusque circuitu invaluit.

Anno 1820 adveniens, hic loci characterem morborum regnantem inflammatorio-gastricum, erysipelatosae igitur indolis, deprehendi, qui quidem ad praesens usque tempus praevaluit, etsi quandoque inflammatoriis vel rheumaticis conditionibus locum concesserit. Mensibus Octobris, Novembri, et Decembris 1820 febres erysipelatosae non raro formam sporadico-typhosam inducebant, cum felici tamen quam plurimum exitu.

Menses Januarii et Februarii an. 1821, cum frigus pluries 30 Gr. Reaum., et quod excurrit, excederet, characterem morborum magis inflammatorium generarunt; ac peripneumoniae, ophthalmiae et encephalitides tunc multae grassabantur.

Eodem tempore et typhosa morborum indoles magis magisque invaluit, typhusque in urbe

adhuc sporadicus, contagiosum jam sese ruri praestitit.

In primis tres vel 4 tantummodo homines, in agro, septentrionem versus ab urbe sito, hic morbus invasit, ab hisce alia habitacula infecta sunt, tandem vero contagio ab una regione ad alteram propagata est. Quae quidem, cum semel ruri diffusa esset, ibi non modo nulli domicilio, sed saepius nec ulli quidem homini pepercit.

Typhus iste contagiosus per totam saviit aetatem ad mensem Septembris usque, tunc tandem paulatim cessavit priorique constanti characteri locum dedit, vere an. 1822 denuo emergens.

Attentione peculiari haud indignum, quod primo anno septentrionalem et orientalem partem, altero vero, magis australem et occidentalem infestaverit, eoque modo cursum quasi circularem ab aquilone ad orientem et inde ad meridiem et occasum confecerit, ubi tandem, incunabula sua attingens, extinctus est.

Centrum hujus circuli, — urbs ipsa, plus minusve semper in plagae consortium devenerat.

Complicatio inflammatoria anni 1822 eodem

fere tempore ortum cepit, ac praeterito anno, et in ambobus usque ad dimidium Junii mensem remanebat, tunc demum erysipelatosae praevalente.

Accusabant aegri tanquam praevia morbi symptomata, sensum lassitudinis universalis, praecipue in genibus, horripilationem fugacem et aestum, capitis temulentiam, torporem animi ac demissionem, vertiginem, insomniam, dysorexiam, manuum tremorem etc.

Pluries, et quidem initio epidemiae, typhus sine prodromis oriebatur; frigore 4 ad 6 horas durante, quod calor vehemens insequeretur, quandoque post aliquot horas cum sudore apparente decrescens. Pulsus pleni, duri, tensi, plus minusve celeres; facies rubra, inflata, oculi interdum inflammati, rubentes, cutis ardens, sitis magna, potum acidulum concupiscens, praesertim vero nationalem illum, qui Quass vocatur; lotium frequentius, ast parva quantitate emissum, rubro colore tinctum; lingua muco albo obducta, alvus saepius obstipata, morbum comitari solebant. Accedebant praeterea cephalaea, occipitalis praecipue, dolor ad medullam spinalem, obnubilatio

capitis, cum oculis trucibus, rubentibus, et lacrymantibus; aegris inquietis, iracundis.

Versus 4 vel 6tam diem epistaxis non raro apparuit cum sensu insignis euphoriae, mox tamen insequente delirio; aliis diebus pleuritica symptomata subrepebant, dolores obtusi pectoris, tussis cum sputis cruentis. Versus 5am diem linguae sordes siccae cernebantur; pulsus minus duri, ac interdum sudor et urina turbulenta.

A 7a ad 14am diem usque symptomata nervosa praevalabant. Aegri fere continuo jam delirarunt, in quibusdam feroci delirio cum sopore alternante; cutis nunc sordida pallidaque, calor ardens, imo mordax aderat, pulsus parvi, celeres, saepe tremuli ac vix sensibiles; linguam et labia tremantia crusta nigra, sicca, obducebat. Lotium, rubore nunc destitutum, colorem flavum dilutum, vel et perfecte clarum, aquae similem, prae se ferebat. Alvus, ut initio, plerumque sicca, vel diarrhoïca, involuntaria, aquosa interdum conspiciebatur. Aegri ut plurimum collapsi, in dorso recumbebant.

In stadio decrementi a 14a inde ad 21am diem usque, non raro symptomata critica manifesto

apparebant, passim tamen, praesertim in agris, morbus per solas lyses protrahatur. Crisin universalem sequentia indicarunt: cutis antea sicca, nunc mollis, sudore copioso, haud viscido, scattens; lingua humida, crustaque ejus sicca, item labiorum, jam sese desquamans; alvus pultacea, urina copiosa, cum sedimento albo vel flavescente; pulsus pleniore, molliore tardioresque; oculi denuo magis vividi ac splendentes; deliria cessantia, aegri somnus rursus quietus; tussis, si adfuerit, mitescens per sputa cocta.

Quo magis morbi in menses aestivos, Junii, Iulii, Augusti, incidebant, eo magis, evanescente caractere inflammatorio febrium, erysipelatosus caput attollebat.

Parotides nunc frequentes, abscessus, miliaria ac similia occurrebant; lingua initio muced flavo obducta, cum ore amaro; pulsus celeres et duriusculi; calor cutis quoque ad mordacem usque intensus; capitis dolor mitior, ad regionem frontalem restrictus. Nausea et vomitus passim cum diarrhoeis fluidis alternabant, doloribus et intumescencia ventris non raro stipata.

Stadium nervosum, excepta complicatione,

quandoque adhuc residua, eodem fere modo se habebat, ac supra descripsimus.

Causa praeeparans ipsumque typhosum contagium generans, sine dubio in alimentorum cerealium penuria vel potius defectu quaerenda fuit.

Ob tempestatem humidam A. 1819, 1820^o et 1821 non modo male succreverant secale et avena, (quae fruges unice hoc in frigido climate coli solent), sed et illud, quod colligi potuit, haud perfecte maturatum erat, insuper multo lolio temulento et secali cornuto commistum; quam ob causam et ob messis exiguitatem, pravo chy-mo ac chylo parato sanitatem infestari necesse erat.

Hi ruricolae, quibus cum summa inedia conflictandum fuit, inprimis ab hoc inimico morbo vexabantur.

Cum eodem tempore, ob pabuli defectum, pecus fame quoque affligeretur, ideoque saepius periret, jam magis increvit malum, quoniam miseri ex animalibus emortuis escam petebant.

Quantum detrimenti ejusmodi lues, vel semel hanc regionem invadens, eidem adferat, facile perspiciet neque mirabitur qui ejus incolas,

eorum aedificia, ac rationem in angustis tuguriis vivendi, probe cognoverit.

In casula, unicum conclave continente, duae pluresve familiae simul habitant. Hoc in cubiculo fornax magna ultra tertiam partem totius spatii occupat, raroque fumario instructum est, cujus vicem supplet foramen quoddam parietis vel tecti, operculo munitum; imo, hoc deficiente, fumus per januam apertam effunditur.

Fuligo, parietes et tectum obducens, toti cubiculo fumarum speciem imperiit.

In tali spatio, propemodum hermetice clauso, ubi simul et coquitur et lavatur, vivunt passim 12 ad 15 homines; gallinae insuper, sues, aliaque animalia, una cum hominibus saepe degentia, aërem odore mephitico impraegnant.

A teneris unguiculis plebs Ruthena ita assuescit ad temperaturae vicissitudines tolerandas, ut, inter summum hyemale frigus, in cubiculo, ad 24 vel 26 Gr. Reaum. calefacto, impune moretur, ac supra calidiores adhuc fornaces dormiat. Instinctus iste, ut ita dicam, calorem expetens, increscit apud eos, qui febre quacunquē ardente corripuntur. Tali in casu perarduum opus sus-

cipit qui illis persuadere conatur, ut fornacem derelinquant, eoque magis, quo, ut vel serenissima vernâ aestivave tempestate, fenestram aperiant; vix commoventur.

Stupenda erat frequentia recidivarum, quae plures victimas, ac morbus per se postulasset, otco tradidit. Alimenta male sana crudaque ac saepe prorsus deficientia illarum causae fuerunt. Ciborum appetitu enim vix redeunte, mox aegri invalidum adhuc ventriculum, pravis aegreque digerendis cibus infarciebant; quin imo, quod initio epidemiae, antequam melior rerum ordo adductus esset, ipsemet vidi, ex sola fame denuo in morbum inciderunt, diemque obierunt supremum.

Medela hujus epidemiae inprimis exigebat; ut alimenta sana et sufficienti in quantitate procurarentur; quod vero a quibusdam non sine magnis obstaculis obtineri poterat, cum multi praediorum possessores, aequae ac eorum potestati subjecti, ad egestatem essent redacti.

Facile quisque intelliget, rebus ita compatis, in tantâ aegrorum copia, medici curantibus provinciam haud mediocribus obnoxiam fuisse

impedimentis ac difficultatibus, quas equidem ut removerem atque ita, quantum fieri potuit, nodum expedirem, omnem navavi operam.

Ad aërem sanum aegris miseris et arte degentibus procurandum, sub auspiciis disciplinae publicae praefectorum; ut fenestrae aperirentur, et, ubi fieri potuit, aegroti in ampliora et huic rei apta conclavia transferrentur, imperavi, ubi simul fumigationes ex acido muriatico, vel asperisionem, aceti ope institutam, praeceperam.

Ut domicilia hyeme modice caleferent, haudquaquam autem vere et aestate, auctor fui; coquendi ac lintea in eisdem lavandi consuetudinem abrogare studui.

In primo morbi stadio complicationem praesentem tollere curavi. Hac magis inflammatoria, venam secare jussi; cum vero caput simul affectum et inflammatione correptum esset, saepius in hominibus robustis phlebotomiam repetii, ac praeterea sanguisugas temporibus et pone aures applicavi, ut calor nimius febrilis temperaretur. Sanguisugas plerumque non nisi aegris pueris vel juvenibus oppidanis applicare licuit; cum rusticolas sae-

pius jam morbo exhaustos et reactionis expertes curandos susceperim.

Praeter sanguinis evacuationes; adhibui primis diebus, ut antiphlogisticum, sulphatem Potassae vel Sodae cum infuso fl. Sambuci aut Chamomillae, vel nitratem Potassae cum decocto mucilaginoso, acetate Ammon. liquido; simul unguentum Hydragyri cinereum infricando. Quodsi febris ad characterem erysipelatosum magis vergebat, Calomel cum radic. Rhei porrexi. Si calor modum excedebat, cute sicca, hauc aqua frigidiuscula vel aceto lavare jussi. Septima vel octava die, cum nervosa subintrarent symptomata, remedia stimulantia, reactioni praesenti congrua, in usum vocavi. Inter haec saepissime Valeriana, Serpentaria, Angelica, Arnica et Camphora adhibebantur. Affectioni pectoris, tussique sociae, extractum Hyoscyami, Cicutae, sulphur Antimonii auratum et decoctum radices Senegae inserviebant. Externe vesicatoria ac sinapismos pectori vel nuchae etc: imposuisse haud poenituit.

His medicaminibus adhibitis, sanitas plerumque aegris restituta est; roborantia non nisi pau-

peribus necessaria erant; quorum usui radix Colombo, Calami aromatici, cortex Chinae, et, ut magis nutriens remedium, Lichen islandicus intervalebant.

II.

Nonnullae morborum typhosorum historiae.

I.

Anno 1821 die 31ma Januarii accessit sum ad virum sat robustum, 24 annorum, qui jam per tres dies capitis obnubilationem, aurium tinnitum, lassitudinem artuum appetitusque defectum conquirebatur.

Inveni aegrum in lecto, frigore vehementi febrili correptum. Illud aestus enormis dolorque totius capitis, praecipue autem in occipite saeviens, insequiebantur; sitis magna, anorexia, lingua humida, muco albo scatens; cutis sicca, facies rubra, pulsus pleni, tensi, duri, prope 100 in horae minuto. Lotium parcum saepius excernebatur, rubroque colore tinctum erat, alvus normalis. Aeger aspectum prae se ferebat ferum, animo erat moroso ac demisso, ad quaestiones vero, ei propositas, alacriter quidem, sed non sine confusione respondebat.

Venam ad uncias decem secare jussi, interneque refrigerantem porrexi misturam, ex salis Glauberi drachm. 3 cum decocto mucilaginoso et syrupo Citri. Pro potu Limonadam praecepi.

Februari. die 1. Nox tota valde inquieta, insomnis, mane aeger tranquillior, calor vero et sitis fortiora ac heri; facies tumida ac calida, oculi inflammati, rubentes, cephalaea atque pulsus ut heri. Quoniam sanguis, vena e ductus, magnam crustam phlogisticam formaverat, insuper hirudines octo pone aures et ad tempora applicatae sunt.

Februari. d. 2. Nox inquieta; pulsus tamen mollior, nec oculi adeo rubebant. Vesperi clyster admotus, ob alvum jam per 2 dies prope deficientem. Medicinâ eadem.

Die 3. Februari. Alvus noctu bis deposita, unde aeger per aliquot horas quietior erat. Interdium aestus ac sitis sat vehementes. Pro potu nunc, cum primum aversaretur, syrupum Rubi idaei cum aqua porrexi.

Februari. d. 4. Media nocte aeger sudavit, aestu quodammodo imminuto; ast matutinum tempus versus, denuo inquietus deliravit.

Lingua sicca, in medio fusca, rimosa; auditus torpuit.

Februari. d. 5. Noctu levis epistaxis, pulsus tardior minusque durus; lingua et labia contra prorsus sicca, delirium fortius, aeger huc illuc jactabatur in lecto. Ordinavi Infusum rad. Valerianae cum Elixir. acido Halleri. Alvus clystere ducta.

D. 6. Februari. Cutis sicca, ardens, nares, labia et lingua crusta nigra obducta. Urina pallida cum dolore excernebatur; deliria continua, aegerque modo sui conscius erat, cum mingendi cupido eum incederet.

D. 7. Februari. Lassitudinem ac deliria aucta caloremque cutis nunc mere mordacem reperi. Exhibui infusum rad. Valerianae et Serpentinae cum liquore anodyno miner. Hoffm. alternatim cum pulveribus camphoratis. Acetum porro camphoratum pro lotione corporis et vesicatorium nuchae praescripsi.

D. 8. Februari. Totam per noctem aeger deliraverat. Mane inveni illum soporosum, vix horâe minuto exsomnia, linguam siccam, ligno similem, et labia trementia; manus

vario modo movebat; pulsus parvus, vix sensibilis, cutis sicca, sordida. Alvum iterum sollicitavi et sinapismos suris ac pectori imposui; ceterum cum mistura hesternum ac lotionibus perrexi.

D. 9. Februar. Omnia eadem; sed sopor continuus nunc lethargum referebat, oculi languidi, vigore destituti. Conclusi inde, cerebrum pressione lymphae extravasatae pati, ideoque prioribus remediis flores Arnicae subjunxi; emplastrum Meliloti nucae post vesicatorium applicavi, pulvere Cantharidum inspersum. Pro potu, ob urinae secretionem prorsus fere suppressam, decoctum tenue radices Senegae copiose administravi, infricata oleo Hyoscyami vesicae regione.

D. 10. Febr. Lotium uberius, sed involuntarium excernebatur; noctu aliquot guttae cruoris ex naribus stillabant. Aegrotus in continuo sopore. Cutem nunc siccam et ardentem frigida lavare jussi, alvus sequis iterum clysmate mota est.

D. 11. Febr. Post mediam noctem sudor partialis apparuit ad collum et extremitates superiores, aegrum aliquantum temporis sui con-

scium reddens, qui vero mox denno in delirium incidit, nunc magis vividum, nec adeo lethargicum, ut antea. Cutis vesperem versus iterum valde ardebat ac squalida videbatur. — Lotionem cum frigida repeti, vascula duo infusi Chamomillae insuper porrigendo. Medicina continuata; modo Camphorae dosis diurna, quae initio granorum sex fuit, postea 10 gr., nunc ad 15 gr. aucta.

D. 12. Febr. Noctu aeger alvum liquidam involuntariam reddiderat, totam per noctem deliraverat; valde jam ardebat, potumque, simul ac illi porrectus erat, cum magno appetitu bibit. Tranquillior per diem mentisque magis compos; pulsus, molliores quodammodo, ad 90 in horae minuto; cutis ardens, minus tamen sicca ac heri. Medelam hesternam continuavi.

D. 13. Febr. Versus horas matutinas sudor tepidus totum irroravit corpus; lotium nunc uberius, turbulentum; pulsus mollis, pleniussculus; aeger, mentis compos, nunc difficilem motum linguae, magnam lassitudinem et timuitum aurium accusabat. Vesperis aegrotus somno $\frac{1}{4}$ hora-

rum post meridiem gavisus est; febris vix ulla, aspectus hilaris. Medicina eadem.

D. 14. Febr. Nox quieta, mane sudor lenis. Calvaria hodie libera; lingua humida, crusta ejus solvi incipiens; aestus febrisque nulla. Urina nunc sedimentum ostendit criticum, aegrotusque prima vice denuo jusculum carneum expetivit. Ante meridiem sedes binae pultaceae.

D. 15. Febr. Aegrum inveni sedentem in lecto, mihiq; narrantem, se noctem optime peregisse, et nil nunc praeter debilitatem artuum auditusque gravitatem sentire. Medicina, quam nunc aversabatur, seposita. Comedit hodie jusculum carneum cum pane albo et poculo vini vestusti.

D. 16. Febr. Bene dormivit, sed gravitatem et inflationem abdominis accusavit. Quoniam heri alvus defuit, clyster admotus est, post quem alvus ter deposita est cum multo levamine.

D. 17. Febr. Pedes nondum ambulationem permittunt, quamquam aeger experiri eam voluit. Appetitus crescit.

D. 18. Febr. Heri alvus defecit, ideo ae-

ger iterum de molestiis in abdomine conquerebatur. Clyster profuit.

D. 19. Febr. Versus horas matutinas aeger expergefactus est, copiose sudans; nulla tamen debilitas inde profecta est. Appetitus magis viguit. Alvus normalis, spontanea.

D. 20. Febr. Omnia bene procedunt. Epidermis cutis et labiorum desquamatur. Viros augeantur; convalescentiae aeger est proximus.

D. 25. Febr. Praeterlapsis tribus diebus, nil quod memorari mereatur, contigit. Hodie aeger, cum baculo incedens, mihi obviam venit; edit bibitque cum bono appetitu, laetus ob recuperatam sanitatem.

2.

Ao. 1825. d. 20. Martii virginem nobilem, 30 milliaria Russica (Verst) ab urbe degentem, curandam suscipere invitatus fui; aegra constitutionis corporis plenae, sed sat laxae; parentesque illius jam aliquot dies febre typhosa laborarant.

Aegra 15. jam die Martii universam valetudinem alienari perceperat, capitis obnubilatio-

nem, dysorexiam, tantamque lassitudinem sentiens, ut saepius per diem iu lectum se conferre cogeretur. Altera die morbi prodromi apparuerant, aegra tamen per totam fere diem adhuc ambulaverat, ast 7. hora vespertina vehementi horrore et subsequente aestu correpta erat.

Sequenti die de aestu vehementi, capitis obnubilatione doloribusque obtusis sub sterno conquesta erat. Epotis tribus vasculis infusi theaeformis baccarum siccatarum Rubi idaei, sudaverat quidem, sine euphoria tamen.

Nox inde a 17. ad 18. usque diem Martis valde inquieta fuerat; aegra summopere arserat, tussisque vexata erat sicca. Magna dosis rad. Rhei, illi exhibita, alvum 12es duxerat; simul rasura rad. Armoraciae articulis manuum, et oleum empyreumaticum betulinum plantis pedum imposita erant. Calor quidem et cephalaca aliquantum imminuta, ast denuo mox exasperata apparuerant.

Adveniens, vidi aegram jam 4. morbi die valde anxiam et febricitantem. Pulsus 115 in horae minuto animadvertentibus, sat pleni, duriusculi et tensi, calor auctus, cutis sicca, sitijs

magna; lotium parcum, saturati rubri coloris. Diarrhoëa, Rheo producta, jam silente, memorata adventus die sedes binae normales aderant. Lingua muco albescente obducta; sapor viscidus, factuus. Tussis frequens, nunc sicca, nunc cruore nigrescente comitata; aegra simul ingratum pondus ac dolorem sub sterno pressorium cum anxietate accusabat; caput obrutum, bene tamen ad quaestiones aegra respondebat; facies rubra, ardens, oculis vix alienatis. Abdomen liberum, ut, nec pressione instimta, aegra de dolore conquereretur. Etsi rite intellexi, morbum ad thoracem concentratum fuisse, complicationemque inflammatoriam iniisse, attamen ob paralysin hic metuendam, venam incidere haud ausus sum. Quare diathesin inflammatoriam methodo minus debilitante debellare studui, praescribens decoctum radicis Althaeae et Senegae cum muriate. Ammon. et syrupo, quod omni hora sumendum erat; unguento mercuriali insuper pectus perfricare iussi; pro potu aquam e syrupo Rubi idaei.

Magna aegrorum copia, qui me in urbe occupatum tenebant, impeditus sum, quo minus

quotidie rus proficiscerer; promisi tamen, me aegram quaque secundâ die visitaturum.

D. 22. Martii. Nocte, d. 21. Martis progressa, deliraverat aegra; valde anxia, saepe tussi exercita, cruorem expuerat; interdium tussis minus frequens fuerat; deliria mane iterum cessaverant. Ultima nox valde inquieta, deliria continua. Sub tussi nunc minus cruoris apparuit, ne mucus quidem; lingua et labia sicca, coriacea; pulsus accelerati, parvi, cutis sicca, ardens; lotium sub-rubrum, alvus normalis. Sequentem porrexi misturam: Rp. Rad. Senegae \mathfrak{z} ij coque c. aq. fontan. \mathfrak{z} xij, sub finem coctionis adde radic. Valerianae \mathfrak{z} i Colaturae \mathfrak{z} vij adde Julapii e Camphora acetosi \mathfrak{z} i Gummi arabici \mathfrak{z} ij florum Benzoës gr. xv. M. D. S. Sumat omni hora cochlear majus. Ut anxietas temperaretur, pomâ recentia edenda, vel succum eorum bibendum praecipi; cutis lavabatur frigidiusculâ aqua. Unguentum ter singulo die thoraci infricare jussi.

D. 24. Martii. Heri nihil mutatum fuisse, mihi relatum est. Hodierna nox valde inquieta, cum delirio continuo; interdium tamen aegra mentem recuperaverat. Tussis continuata, non tamen

creta, sed cum sputis aquosis; aegra adhuc dolorem pressorium in imo pectore accusat; pulsus admodum parvi et celeres, calor modicus, cutis sicca; lingua et labia muco bruneo-nigro incrustata, vox debilis, urina pallida, aquosa, alvus per duos dies obstipata. Priori misturae Aether sulphuricus additus, vesicatorium loco pectoris dolenti, et clyisma ex infuso Chamomillae admotum est. Frictio cum unguent. mercuriali omissa.

D. 26. Martii. Hucusque mutatio vix ulla, nisi, quod denuo sanguis nigricans sub tussi apparuit. Ultimam medicinam repeti, additis \mathfrak{z} vj corticis Chinae, simul adhuc duo parva vesicatoria pectori applicita; heri alvus unica, hodie vero nulla; quapropter clyster repetitus est.

D. 28. Martii. Penultima nocte aegra sat large sudaverat, aestu tum quodammodo imminuto, per tres horas illa dormierat; cito tamen aestus ac deliria denuo exasperata erant. Heri vespertino tempore aegra valde inquieta, vehementi afflicta aestu, potum continuo flagitarat, conquesta erat de anxietate et constrictione pectoris; fleverat cum horribili vociferatione. Sudor matutinus parvus aliquam ei conciliaverat quietem;

Inveni aegrotam multo debiliorem, cum aponia, pulsu vix sensibili, cute ardente, sicca, calore fere mordaci; cum tussi quidem rariori, nec sputis adeo cruentis, sed stertorosa respiratio jam adfuit; nec deerant deliria taciturna, a quibus aegra facile tamen expergeri potuit, sed ad quaestiones vix respondebat.

Aegrae conditio mihi periculi plena visa est, omnique jure de felici eventu dubitavi, cum paralysis proxima pulmonum metuenda esset.

Ordinavi. Rp. Rad. Senegae \mathfrak{v} ij cort. Chinae \mathfrak{z} vj mellis $\mathfrak{z}\beta$ coque c. aq. font. \mathfrak{z} xv, sub finem coctionis adde, rad. Serpentariae v. \mathfrak{z} vj digere per $\frac{1}{2}$ horam, Colat. \mathfrak{z} ix admisce spiritus Nitri dulcis \mathfrak{z} j. D. S. Omni semihorio cochlear cibar.

Rp. Moschi orient gr. xxxij, florum Benzoës gr. xv sulphur. aurati Antim. gr. jv sachari albi \mathfrak{z} j et gr. xxiv. m. f. pulv. in 8 partes aequales dividendus D. S. Omni hora pulvis cum mistura sumendus. Derivando simul a pectore egi, clystere quippe, et vesicatoriis, uno pectoris lateri et duobus suris applicitis.

D. 29. Martii. Nuntius mihi retulit, mixturam et pulveres consumptos esse, statum vero

morbi eo tantum mutatum, quod praeterita nocte cutis humidula fuisset, alvusque unica spontanea; caeterum nullum, quod laudari posset, levamen in conspectum venisse, sed potius cutem magis ardere visam. Misturam et pulveres eisdem reiteravi, aegramque aceto camphorato lavare jussi.

D. 30. Martii. Nox post sudorem aliquantum quietior. Me adveniente, aegra e somno expergefata, voce debili mihi narravit species per somnum ei oblatas, animi angorem excitantes; ast eodem tempore, cum ulterius cum illa colloqui vellem, iterum incepit secum sermocinari. Absentia stertoris ominosi gratissimum mihi signum fuit, licet nulla alia critica phaenomena percipere nunc potuerint. Tussis, ut ante 2 dies, sputa tenuia, striis sanguineis interstincta; respiratio tamen liberior, pulsus palpabilior, nec adeo celer, cutis vero ardens iterumque sicca, lotium hucusque limpidum. Nulla mihi, remedia hucusque adhibita mutandi, causa apparuit, ideoque cum eisdem petrexi abiturusque simul praecepi, ut eisdem et crastina die uteretur, ni quid singulare accideret.

Cal. Aprilis. Media nocte, 31. Martii diem praegressa, aegra toto sudaverat corpore, calore post-haec val-

de imminuto, per aliquot horas dormiverat, etsi sine quiete, ut ipsa retulit; deliria nocte hesternaque tota die nulla. Ultima nox multo quietior, ac antea, erat; aegraque mane expergefata est post somnum profundum; recreantem. Non parum miratus sum, cum ex me, conclave ingredienti, aegra sereno vultu quaereret, quid ei, quod hodie ederet, concederem. Omnia colatoria in statu exoptato mihi nunc versari videbantur; cutis mollis, humida, iusti caloris; tussis rarior cum sputis spissioribus, sanguine expertibus; lotii quantitas aucta cum sedimento critico, alvus normalis; crusta linguae adhuc fusca, non tamen sicca ac lignea.

Moschum seposui; caeteris repetitis, misturam nunc quavis hora exhibui.

D. 3. Aprilis. Noctes duae praeterlapsae sine incommodo. Aegra ei interdum flagitavit, in universum, convalescentiae stadium jam adesse manifestum erat. Lingua et labia nunc pura; tussis ter quaterve tantum per diem audita, cum sputis coctis.

D. 6. Aprilis. Convalescentem lectulo in-

sidentem inveni. Febris nulla, tussis cessaverat, appetitus restauratus est; ut paucis dicam, nunc bene omnino se habere sensit, excepta residua lassitudine. Jam duorum dierum spatio nullo medicamento usa est; quod nec ulterius necessarium censeui, solummodo eam monens, ut diaetae refugiat errores, et in cubiculo remoretur.

3.

Vir. 26 annorum, constitutione corporis sat debilis, qui jam ultra 6 dies de gustu alienato, amaro, artuum lassitudine, tensione frontis somnoque turbato conquestus erat, die 20. Julii an. 1821 frigore subsequenteque aestu correptus est. Graviorem nuuc capitis obnubilationem cum doloribus nuchae, praesertim supra frontem, membra quasi contusa, tinnitum aurium, vertiginem, anorexiam, ructus frequentes, nauseam et vomitionem accusavit.

Quum d. 21. Julii me consulendum vocaverit, praeter narrata symptomata inveni: pulsum celerem, duriusculum, non tamen plenum; cutem humidam calidamque; sitim fortem; urinam ru-

bram, alvum segnem. Praescripsi: Rp. Rad. Rhei $\mathfrak{z}\beta$ Mellis $\mathfrak{z}\beta$ coque c. Aquae font. \mathfrak{z} xij ad colatur. \mathfrak{z} vjj, adde acidi Salis fumantis gr. xxxjj MDS. Omni hora cochlear cibarium. Pro potu Limonadam.

D. 22. Julii. Totam per noctem aeger magno opere aestuaverat, omniaque incresebant symptomata. Vomuit semel noctu, alvumque habuit normalem.

D. 23. Julii. Media nocte sudor copiosus, ac mane sedes binae molles, cum levamine, inde conspicuo. Calor imminutus, cutis humida interdum, cephalaea mitigata, atque morbus brevem et faustum decursum promittere videbatur.

D. 24. Julii. Noctu aeger denuo frigore febrili et aestu correptus est, sudore ubertim fluente. Pulsus iterum acceleratus, cutis ardens, lingua sicca, dolores supra frontem aucti, sapor amarus, urina rubra, saepius emissa; alvus normalis; deliria. Ordinavi infusum tenue florum Chamomillae et rad. Valerianae cum muriate Ammon. et syrupo Rubi idaei.

D. 25. Julii. Nox inquieta somnique experta. Dolores hodie in regione ventriculi se manifestarunt et diarrhoea; sitis insuper magna, ce-

phalaea vehemens frontalis, pulsus celer, irregularis, dicrotus; lingua in medio subfusca, loquela segnis, animus depressus. Propinavi decoctum radic. Althaeae et Gummi arabici, (singulor. \mathfrak{z}) addita sub fine coctionis rad. Valerianae uncia una. Externe loco abdominis dolenti ungu. mercuriale infricatum est. Pro potu emulsio amygdalina.

D. 26. Julii. Noctu alvus sexies liquida deposita: deliria inter somnum continua. Per diem aegrotus iterum delirare cessavit, sed animo tristis et dejectus erat. Nisus creber mingendi, quod non sine dolore perfici potuit; lotium limpidum ad instar aquae, sedes modo tres quotidie. Hesternae mixtura repetita ac frictions; oleum Hyoscyami coctum praeterea regioni vesicae illitum est.

D. 27. Julii. Ad mediam noctem usque inquietudo magna, delirium forte, alvus ter fluida, praeter voluntatem dejecta, sitis vehemens calorque ardens. Postea parcus sudor, aegrum iterum sui conscium, ast debilem reddens. Alvus nulla interdum.

D. 28. Julii. Noctu diarrhoea iterum exasperata; excrementa fluida et urina involuntarie

abibant. Aeger deliravit hodie et interdium; dolores tamen abdominis, suspiriis post adhibitam pressionem manifestavit. Medicamini muriatem Ferri addidi.

D. 29. Julii. Vox valde inquieta; deliria adhuc increverant, diarrhoea pergebat. Sub ablutione aegri, maculam rubram, sat vastam, supra os sacrum animadverti; cui lintea, decocto concentrato cort. Quercus madida, imposui.

D. 30. Julii. Exitus adhuc infaustior videbatur. Aegrotus, continuo sopore detentus, in sordibus decumbebat. Cutis sicca, coriacea, lingua et manus trementes, abdomen inflatum ac tensum; decubitus magis evolutus, caeruleo-nigrescens, corpus collapsum. Ordinavi: Rp. Rad. Althaeae $\mathfrak{z}\beta$ Gummi arabici $\mathfrak{v}\mathfrak{j}$ sacchari albi $\mathfrak{z}\beta$ coque c Aq. font. $\mathfrak{z}\mathfrak{xv}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ sub finem coctionis adde radic. Serpentariae $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ digere per $\frac{1}{2}$ horam Colatur: $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\mathfrak{x}$ admisce Ferri saliti gr. xv Spir. salis dulcis $\mathfrak{D}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$. mds. Omni hora cochlear cibar. Rp. Moschi gr. xvj. Camphorae gr. vjij c. s. q. Spirit. vini tritae, Sacchari albi $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\beta$ m. f. pulv. Divid. in 8 partes aequal. D. S. Omni bitorio pulv. j. Abdomini linimentum ammoniatum camphor. infri-

care jussi, ac per intervalla species aromaticas, vino tepido irroratas, superponere; vesicatorium nuchae.

D. 31. Julii. Ab hesternina inde die mutatio nulla, nisi quod cutis supra utramque scapulam caeruleo suffusa colore ac decubitu alienata erat; quapropter deligationem cum Plumbo tannino institui. Mixturae adhuc gr. xvj Ferri saliti ac pulveribus gr. xvj Pulv. Doweri (omissa sulphate Potassae) adieci.

Cal. August. Diarrhoea quidem vix imminuta, sed sedes nunc nigrae, nec adeo aquosae, cernebantur. Noctu deliravit aeger, interdium sui conscius, ast debilis; tardissime respondebat; cutis squalida, lurida, sicca, pedes frigebant sub tactu; extremitates superiores contra aspectus mordaci ardebant calore; pulsus filiformis, ob celeritatem, vix numerandus. Medicina eadem. Lotio cum vino.

D. 2. Augusti. Praeterita nocte alyus nigra octies voluntarie deposita; abdomen non tam tumidum et sensibile; cutis undique aequaliter calida. Decubitus supra scapulas bonum recentemque aspectum praebant, contra, qui supra

os sacrum adfuit, magis serpebat. Hic quoque Plumbum tanninum adhibui; reliqua medela eadem. Pro potu vinum rubrum vetustum cum aqua.

D. 3. Augusti. Noctu sudor levis faciei et ventris prorupit, membris adhuc siccis. Sedes frequentes, ast jam magis pultaceae. Pulsus palpabilior, et numerabilis, 120 ictus in horae minuto continens.

D. 4. Augusti. Ante mediam noctem aegrotus iterum aestuavit; urina rubella, cutis ardens, sicca; sedes iterum frequentiores, nec pultaceae. Pulsus parvi, 115 in horae minuto. Meridiem versus sudor largus totum irroravit corpus, simulque exanthema miliare rubelli coloris undique prosilnit, cum aegri emolumento. Sedes 6 ad 8 per diem, iterum spissioris consistentiae. Lotiones omissae.

D. 5. Augusti. Diarrhoea pertinax cessavit; alvus matutina normalis. Aeger noctu per aliquot horas quietus dormiverat seque, ut ejus verbis utar, quasi renatum senserat; cutis nunc mollis, tepida; pulsus pleniore, ad 80 in h. minuto, lingua humida, urina turbulenta; decubi-

tus supra scapulas sicci, nec jam dolorifici; ulcere ex decubitu supra os sacrum interim pejori. Cutis in tota ejus circumferentia in crustam gangraenosam mutata erat. Ordinavi interne: decoct. Chinae cum Camphora et Aethere sulphurico. In substantia, sphacelo affecta, incisiones, non tamen ad vivum usque tendentes, feci, ut remedia applicanda melius agerent; tali usui decoctum Chinae inserviebat, pluries per diem lintei carpti ope superdatum.

D. 6. Augusti. Satis bene aeger se habebat, somnus tranquillus, appetitus auctus, lingua purior, alvus normalis; lotium copiosius, in quiete sedimentum albo-flavum demisit. Maximas nunc molestias decubitus efficiebat, hodie sanie magis foetente scatens. Quamobrem pulverem Carbonum inspersi. Cibus ex jusculo carneo et vino constabat.

D. 7. Augusti. Res bene procedunt. Miliaria exsiccantur, epidermis desquamari incipit, vires crescunt pederentim. Suppuratio sphacelosa hodie uberior, quapropter deligatio cum pulvere Chinae facta.

D. 8. Augusti. Crusta sphacelosa, quae

partiatim a carne viva jam separabatur, caute sublata ac rescissa est; ulcus purum decocto Chinae deligatum.

D. 12. Augusti. Diebus nonnullis praeterlapsis, nulla singularis mutatio; quare et remedia eadem fuere. Vires nunc quotidie magis restaurabantur; ulcus supra os sacrum bene suppurat, granulationeque laeta impletur et coarctatur.

Remediis cum eisdem aeger usque ad diem 21. pergit; tandem ulcus clauditur, aegerque perfectâ fruitur sanitate.

4.

Miles 50 annorum, e manipulo invalidorum hujus loci, qui pedes transportationi maleficorum, custodiae traditorum, in proximam urbem, adesse debuit, domum revertens, anno 1822 die 5. Junii in agro, frigore ac diu perdurante aestu correptus est. Conquestus est praeterea de dolore dorsî et capitis, praecipue in frontis regione; ore amaro, ciborum fastidio, nausæ frequenteque ructu. Cutis sicca, ardens; sitis ingens. Altera die vomitus et diarrhoea proveniunt. Cum aegrotus indies in pejorem delaberetur conditio-

nem, die 13. Junii in nosocomium urbanum traductus est.

Inveni illum tacite delirantem, aegreque expergefaciendum; pulsum dicrotum, cutem siccam cum mordaci calore, eoque sensibili, gingivas et dentes crustâ nigra, coriaceâ, obductos, linguam et labia sicca, lacera; oculos languidos, adipem circum eos evanidam; faciem collapsam, hippocraticam, manus in continuo tremulo motu; sedes erant liquidæ, et cum urina involuntarie abibant; venter inflatus, ac sub potus deglutitione sonus gargarizationis percipiebatur. Inprimis aegrum, sordibus conspurcatum, aqua tepidâ et aceto lavare jussi, et species aromaticas tepidas abdomini imponere. Interne decoctum ex rad. Althææ, Gummi arabico et Valeriana porrexi, additis postea Aethere sulphurico alcoholisato et muriate Ferri. Nuchae vesicatorium admovi.

D. 14. Junii. Conditio aegri pejor, vires fatiscunt. Versus meridiem nil jam deglutire potuit, et medicina per angulos oris iterum effluebat; maxilla inferior dependens; pulsus in arteria radiali nullus, in subclavia tamen adhuc sensibilis; respiratio summopere anxiosa. Tali, quasi

semivivo, statu, ad sextam horam matutinam sequentis diei protracto, levibus subconvulsionibus mortuus est.

Sectio cadaveris.

D. 18. Junii ante meridiem sectionem cadaveris militis, die 15. h. m. extincti, institui.

In exploratione externa, praeter signa mortis communia striasque caeruleas et e viridescente in nigrum colorem transeuntes, supra abdomen et pone costas, nil quod afferre operae pretium esset, animadversum est.

Apertâ calvariâ, nil morbosi in ea reperi; etsi dura mater, per glandulas Pachionianas, profunde calvariae insinuatâs, firmiter cum hac cohaerebat. Vasa durae matris vix sanguine nigro repleta; caeterum nullum extravasatum nec supra, nec infra illam cernebatur. Remotâ durâ matre, vasa cerebri parum quoque cruoris continebant, et inter arachnoidëam et piam matrem vix vestigia transsudationis aderant. Cerebrum quoque in partibus suis nil abnorme prae se ferebat, nisi, quod puncta rubra magis sanguine turgere, et substantia corticalis saturatius colorata quam more consueto viderentur. Ventriculi ce-

rebri nec lympham nec aquam continebant; plexus choroidëus quoque normalis, ut et glandula pinealis cum suo acervulo et pituitaria, atque omnes nervi cerebrales. Arteria basilaris sola vitiata visa est; grandior enim ac in normali statu, apparuit, in parietibus suis multa puncta ossificata, adhuc mollia, abscondens; arteria vertebralis dextra quoque dilatata videbatur. Cerebelli, pontis Varolii et medullae spinalis eadëmodum conditio, ac cerebri. Omnes vero substantiae cerebrales molliusculae.

Thorax. Pulmo sinister, verosimiliter ob praegressam antea inflammationem, parte sua media et posteriori cum pleura et costis concretus; saturati coloris, ast sanus et spongiosus; idem in dextro pulmone observavi, minore tamen gradu. Pericardium aliquot modo guttas seri continebat. Cor voluminosius, marcidum, caeterum sanum. Bronchia et trachea haud vitiata. Nervus vagus, splanchnicus major et minor utriusque lateris, ubi diaphragma permeant, inflammati rubebant.

Abdomen. Inciso peritonaeo tenso, vapor male olens e cavo ventris subito exiit, abdomine mox collabente. Vasa peritonaei, caeterum sani,

praeter normam sanguine turgebant, ut et appendices illius, omentum majus, minus et mesenterium. Tunica intima ventriculi et intestinorum indelebili roseo rubebat colore. Validissima inflammatio in oesophago, ad ejus exitum circa cardiam, ad duodenum et valvulas Kerkringii erat; intestinum rectum versus gradatim evanescens. Lien sanus, nec quidquam abnorme in renibus, cyste fellea et pancreate cernebatur; hepar vero eo a norma aberravit, quod ejus duplicis substantiae differentia sublata erat, colorem nigricantem et consistentiam mollem oculis offerens. Urocystis, in superficie interna rubens, prope uncias octo lotii pallidi ac fere limpidi, continebat. Plexus coeliacus, extus atque in substantia transmissa, saturate rubebat, marcidus ac friabilis; eadem, minori tamen gradu, observabantur in plexu phrenico, gastrico anteriori et posteriori, plexu hepatico; minime plexus mesenterici superior et inferior ac hypogastricus affecti erant; caeteri nervorum plexus nil abnormitatis prae se ferebant. Vasa abdominalia multo sanguine soluto turgebant.

III.

Descriptio fistulae urinariae; inepto obstetricio auxilio allatae, ejusque operatio.

Mulier 21. annorum, corporis fabrica robusta, aspectu sana, felicitis matrimonii, et quae inde ab infantia usque ad primum partum semper integra gavisae erat valetudine, anno a natalibus 16. viro nupta, primo jam anno ventrem tulerat. Omnem per graviditatem bene quoque valuerat. Motus infantis in utero ab initio secundae partis usque ad finem graviditatis distincte tenseserat, quamvis hujus temporis intervallo maxima ex parte iter fecisset.

Partu appropinquante, anus plebeja, (quae plebs Ruthena hic quoque obstetrices nominare solet, et quae multa damna saepius adferunt), in auxilium vocata erat.

Situs infantis, secundum ejus narrationem, optimus fuerat, capite praevio, ita quidem, ut facies, pectus et abdomen ad posteriora ac dextrorsum; occiput vero, dorsum et clunes ad anteriora et sinistrorsum directa essent; nec caput infantis magnitudinem naturalem excedere vi-

sum est. Pelvis hujus mulieris mihi exploranti optimam indicavit structuram; quippe conjugata erat, a superiori margine symphysis oss. pubis ad promontorium sacri 4 pollicum spatium aequans; reliquis diametris normalem quoque statum indicantibus. Nulla adeo perversa infantem inter et pelvim proportio accusari hic potuit. Qui praeterea sanitatem matris integram perpenderit, eo magis mirabitur, partum, a natura prudenter inchoatum, in progressu suo turbatum, et infausto exitu fuisse, ut hic proh dolor! contigit; quod tamen profecto fieri non potuisset, si partus opus omne naturae viribus commissum, nec a rudibus artisque ignaris hominibus temere interceptum esset.

Illico post manifestos partus dolores prima et secunda partus periodo, parturiens ad dolores sponte sibi excitandos cogebatur, quod tamen nimis mature ideoque incassum tentatum fuit; quamvis omnia anilis superstitionis molimina adhiberentur. Cum, rebus ita comparatis, partus non protinus, nec pseud-obstetricis jussu parens, prodiret, (primus enim erat partus, ubi plerumque ob strictas adhuc musculares fibras, vaginamque arctam, res

tardius procedere solet), credidit illa, infantis malum situm morae caussam esse; quare ad hunc emendandum, pedes parturientis trahi, tectum conclavis suffulcanti, ope funis alligare jussit, hoc modo illam inversam suspendens, capite pendulo ab adstantibus sustentato; tali in situ, alterando, ultra 24 horas peregit; saepius praeterea aqua frigida superfusa, misera mater-

Hinc horrendae ac heroicae agendi rationi, quae hic loci passim usu recepta est, pluries ipse interfui, intimo pectore misericordia commotus, quam quilibet sine dubio sentiet, qui non omnem prorsus humanitatem exuerit.

Interim os uteri magis dilatatura erat, ac membranae, sub doloribus exortis, tendi inceperant, quod praegressae tractationi, vires parturientis adeo instingenti, adscribendum.

Obstetrix jam infantis progressum propria manuum applicatione accelerare sibi proposuerat, quapropter disruptis membranis, manum utero induxit, et quoniam caput praevium prehendere haud potuit, retrusit illud ad locum sibi parandum, ut manum pariendi attingeret, illamque protraheret; quod et revera illi successit;

atque tali modo normalis in abnormem partum; in sic dictum situm manu praevia, mutatus fuit.

Situs capitis infantis proinde in aliam prorsus inclinavit directionem; quod magis antrorsum, ossi pubis incumbibat, vesicam urinariam comprimens.

Multi jam manum protrusam fortissime trahebant, inscii, tali pacto infautem magis adhuc in situm transversum compelli. Quo magis ergo trahebatur, eo minus infantem progredi; eoque magis vesicam comprimi, necesse erat.

Tandem; atroci hac obstetricia opera per 2. dies et quod excurrit continuata, eo res perducta est, ut temerariam anum dimitterent, eruditamque obstetricem advocarent.

Haec omnia, quantum potuit, in melius mutandi atque damna resarciendi studio incumbens; manu utero introducta, corpus infantis retrusit, ac caput iterum ad lineam medianam pelvis minoris direxit; hisce peractis, mulier denique, post quinque dierum cruciatus, tantum adhuc virium collegit, ut infantem mortuum masculini sexus sponte ederet. Absoluto partu, puerpera magnam in toto corpore lassitudinem sensit, cum saevo dolore

uteri partiumque adjacentium. Somnus, diu protractus, vires quodammodo refecit; lochia, quoad quantitatem et qualitatem, normalia apparuerunt; primisque diebus puerpera in universum bene se habuit, excepto abdominis dolore, semper incremente.

Tertia die subito frigore cum subsequente aestu correpta est, quae phaenomena pro febre lactea vulgari habita sunt. Insequenti die intenditur aestus, dolores per totum propagantur ventrem acerbiores, praesertim in regione vesicae urinariae; lactis secretio vix orta, itidem lochia cessarunt, cute sicca; ne multa, symptomata febris puerperalis omnia in conspectum prodierunt.

Febris in decursu nervosum assumpsit characterem; aegra deliravit, duosque per dies sui prorsus haud conscia erat. Quamvis nulla auxilia medica adhibita essent, constitutio tamen aegrae robusta, morbum, alias gravem, vitaeque periculum minantem, devicit, quo per tres septimanas detenta fuerat.

Post secretiones criticas, ut sudoris, urinae etc. lochia quoque denuo profluxerunt. Perfecte ab hoc morbo conyalescens, credidit mulier,

se pristinâ sanitate fruituram, cum, praeter residuam lassitudinem, nullas alias nunc perciperet molestias.

Elapsis aliquot diebus, in mentem ei venit, se ex eo tempore, quo in morbum incidisset, ne semel quidem minxisse, imo mingendi nisum nunquam observasse. Quum lochia non cessarent, licet prorsus coloris expertia et magis aquosa conspicerentur, tandem sibi persuasit, hoc fluidum nihil aliud, quam urinam esse, crediditque, lotium ob debilitatem tantummodo retineri non posse.

Hoc involuntarium urinae stillicidium, continuo perdurans, inflammatorium tumorem genitalium ac vaginae, eumque valde dolentem, excitaverat; quapropter varia, vulgo contra debilitatem urocystidis celebrata, remedia, trium annorum spatio sine fructu adhibuit.

Tandem ad medicum aegram confugit, qui, postquam pluribus pharmacis contra incontinentiam urinae frustra usus esset, ab obstetrice mulierem explorari iussit; quo facto, illa intellexit, urinam non ex urethrae ostio, sed ex vagina stillare, cui orificium nullum cerni potuit.

Nunc primum mulieri fistulae urinariae praesentia innotuit, simulque monita est, ut accuratae explorationi sese submitteret, et necessariae forsitan operationi. Quod tamen illi displicuit; quare applicatio receptaculi utinari modo ei injuncta est; domumque remissa:

Receptaculo per breve modo tempus usa est, cum illi levamen vix adferret.

Praeterlapsa anno dimidio; partim dolores acerbis, ob continuum balneum urinale, vaginam, genitalia externa ac femora percurrentes, partim foetor urinae decompositae, qui eam ab aliorum hominum societate arcuit, atque mens suspitione afflicta, ne amore conjugis privaretur, ad operationem subeundam denique illam impulerunt; talia moliens Tichwinam, me consultum venit.

Audita mulieris narratione, supra exhibita, explorationem suscepi. Primum, quod visui meo sese obtulit, erat, lotium ex profunditate vaginae proveniens, quod jam initio mihi spem quodammodo ademerat; prognosin sanctam stabiliendi.

Catheter, oleo illitus, sine omni impedimento per urethram vesicam intravit, neque hanc ob causam jam erat quod dubitarem, causam fistulae

lae nec in strictura urethrae, nec in ejusdem coarctatione quaerendam esse. Quoniam per catheterem modo paucae urinae guttae stillabant, defluxu ejus ex vagina haud imminuto, intellexi hinc, fistulam non in urethra, sed in vesica ipsa hiare, quam opinionem jam prius memorata urinae excretio involuntaria confirmavit. Concluse exinde, fistulam ultra sphincterem vesicae sedentem fixisse, hujusque actionem prostratam. Cathetere in urethra manente conductoris loco utens, digito indice dextro illam perscrutatus sum, sperans, tali modo orificium fistulae me detecturum; quod tamen pluries repetens, incassum tentavi.

Ejusmodi explorationes, praesertim, si fistula altius ascendat, ob columnam rugarum anteriorem, et generatim ob structuram cellularem vaginae, hoc in casu insuper tumefactae, ac proinde coarctatae valdeque dolentis, magnas semper fere objiciunt difficultates.

Spongiam nunc conice formatam, et infuso herbae Cicutae madidam, vaginae immisi, quae pluries per diem purgata, denuo inducebatur; catheterem simul in vesica reliqui, ut, quantum fieri posset, accumulatio urinae in vagina prae-

caveretur; quare suasi quoque aegrae, ut diaeta magis sicca contenta esset, et situ horizontali decumberet tranquilla. Propositum mihi erat, intumescitiam vaginae inflammatoriam tollere, ut tandem explorationis copia mihi daretur.

Sic tractata aegra, paucorum dierum spatio omnes dolores aboliti sunt, vaginaeque intumescitiam diminuta, ut tandem explorationem reiterare potuerim.

Immisso cathetere urethrae et vesicae inprimis, digito per vaginam inducto, totum tractum urethrae perscrutatus sum, hanc simul, catheteris ope, inferiora et latera versus, dein omnem internam vaginae superficiem dilatando; tentavi idem et extracto cathetere, ast incassum, et tunc demum, cum pressionem supra os pubis ad abdomen usque exercere jusserim, tandem altius in vaginam cum digito, sinistrorsum ad locum profundiorum penetravi, per quem tamen catheterem, vesicae inductum, tangere haud potui; isque locus mihi saccus caecus esse videbatur. Pressione autem abdominis aucta, labiisque pudendorum ac ambobus parietibus lateralibus vaginae fortius distentis, lucis tantum mihi affulsit,

ut, aegra nisum in vesicam exercente, urinam ex illa profunditate scaturirentem cernere possem. Specillum, apicem versus in angulum rectum curvatum, et huic antro immissum, catheterem in vesica latentem tetigit; jam vero, specillum vesicam, non autem urethram vel ductum spurium iniisse, inde intellexi, quod motui eius apicis nulla impedimenta opponerentur. Directionem ipsam et amplitudinem fistulae, ob ejsitum profundum, determinare haud potui, licet specillo perceperim, ductum sat amplum adesse.

Etsi aegrotæ enixis precibus a me petebat, ut operationem susciperem, omnemque patientiam pollicebatur, ei tamen petenti satisfacere recusavi, cum nullo modo felicem exitum praevidere possem; cruenta enim sutura, ob altum fistulae situm, oculo vix attingendae, minime applicari potuit; protractus vero usus catheteris, cum scarificatione et cauterisatione marginum fistulae, bono cum successu quadoque adhibitus, hic nullam spondebat utilitatem, pauca modo urina per catheterem, plurima vero et continuo per fistulam stillante, granulationem ideo et marginum conglutinationem omnino impeditura; am-

plitudo praeterea diametri fistulae huic molimini obicem ponebat.

Occasionalis hujus plagae causa facile intelligitur; vix enim alia fuit, quam contusio vesicae, capite infantili producta, unde sine dubio inflammatio, abscessus ac gangraena forsitan orta fuerant.

Sic tandem octo praeterierunt menses, quo temporis spatio iterum gravida facta est, ego vero, cum nihil ultra de ea accepissem, illam nunquam reversuram esse, existimavi. Ast, praeter omnem expectationem, iterum ad me venit postulans, ut eam operationi submitterem atque a malo liberarem. Metuens vero, ne iterum preces recusarem, adjecit, semet ipsam nunc saepius fistulae orificium tetigisse, cum credidisset, illam tempore graviditatis inferius descendisse, ut digito facilius attingi posset.

Quamvis ei narrapti parum fidei tribuerem, res interim mihi haud omnis veritatis experts visa est, conjicienti, uterum, nunc 7mo jam mense praegnantem, aucta extensione, vesicam magis ad inferiora et postrosum protrusisse, idque eo magis, quoniam gravidæ pendulus venter erat;

quare et fistulae ostium inferiori orificio vaginae propius admotum esse, praesumebam.

Instituta exploratione, patuit, conjecturam meam haud vanam fuisse; nunc enim non modo fistulae orificium, multo inferius, ac antea, inveni, sed ejus adeo amplitudinem et conditionem accuratius inspicere potui. Fistulae margines duri, callosi, inaequales, crassiores sinistrorsum ac dextrorsum cernebantur; ejusque diameter ab altero latere ad alterum prope 5 lineas, verticalis novem lineas aequabat.

Nec difficile erat intellectu, graviditatem operationi favere, cum ante et post illam fistula ascendens omnem respiceret medelam; monui interim gravidam de statu, in quo versabatur, ac de quolibet eventu, hic facile expectando. Ad haec mihi respondit: se jam multis abhinc annis sat doloribus adfuetam esse, firmiterque apud animum statuisse, operationem subire, ejusque administrationem illi ipsiusque proli minime noxiam futuram.

Quamvis difficultates hujus operationis rite perspicerem atque de felici eventu dubitarem, periculum tamen facere et fistulam, suturae cru-

entae ope, conglutinare molitus sum, cui fini suturam clavatam melius respondere censei; nam illa margines vulneris aequaliter sibi adpropinquat, quod hic, ob urinam, medelam adeo impediens, vel magis necessarium fuit.

Ut tumor irritabilitasque vaginae tolleretur, iterum spongia, decocto Althaeae cum extracto Cicutae imbuta, illi spatio octo dierum inducebatur ac catheter immisus, velut antea.

Praemisso clystere emolliente, ad intestinum rectum evacuandum, ne vaginam, ultero coarctatam, vel magis praeccludat, An. 1824 d. 15. Martii operationem suscepi.

Mulier aegrotata igitur positu horizontali in mensam altam collocata est, extremitates inferiores disjunctae, ac femora abdomen versus attracta sunt. Cathetrem nunc induxi et, ut labia pudendorum et vaginam distenderet, obstetrici, (quae sola mihi assitebat), praecepi, specillum argenteum, ad instar Richteriani palpebrarum retinaculi, incurvatum, margini inferiori fistulae, ubi hiabat, adposui, eumque hiatum, quantum sine damno fieri potuit, deorsum detraxi, atque margines callosos fistulae, ope forcipis, alis cur-

vis instructae, rescindere ac vulnus cruentum reddere conatus sum; ast hoc conamen irritum omnino fuit, cum margines nullo modo forcipe incidi possent, ob insignem quidem eorum duri-
 tiem, et laxitatem partium adjacentium, quae sub qualibet forcipis applicatione recedebant. Quapropter operationis rationem ita mutavi, ut jam, ope ejusdem hamuli, detracta fistula, illam volsella, in anteriori sine paulum in latus curvata et obtusa, prehenderem, hamulum vero et cathete-
 rem, quae impedimento mihi erant, nunc extra-
 hens, partem marginis fistulae, in volsella hae-
 rentem, forcipis ope, rescinderem. Id toties re-
 petii, donec fistula in omni circumferentia cru-
 enta conspiciebatur.

Ad suturam cruentam applicandam, tria sumsi fila, quae, uti fieri solet, duplicata, per ambos vulneris margines, acus ope, transmissa sunt. Cum vero, ob altum vulneris situm, acus sola manu dirigi non posset, eandem trans-
 verse tenaculo cuidam, ita composito, ut pro arbitrio et clauderetur et aperiretur, tali modo affixi, ut usum mihi commodum praeberet. Acu-
 cum filo hac ratione per margines fistulae tra-

secta, tenaculo adaperto, illam, forcipe prehen-
 sam, extraxi.

Transmissis ita tribus filis, in utroque latere inter illa bacillum rotundum ligneum posui, vul-
 nusque, fila colligando, constrinxi. Neque ta-
 men et haec filorum affigendorum ratio sine alio
 quodam instrumento, quod laqueo-geruli (Schlin-
 genträger) nomine insignire liceret, quo De-
 sault in ligatura polyporum utitur, perfici potuit.

Reliqua diligatio simplex plane fuit; fila
 propendentia, ope emplastri adhaesivi, inguini ag-
 glutinavi, vulnere plumaceolam imposui, illam-
 que ope spongiae, vaginae inductae, affixi. Ca-
 thetere nunc indito, aegra lecto tradita est, eique
 praeceptum, ut quieta in latere dextro recum-
 beret.

Nec sub operatione, nec post illam singula-
 re quidquam contigit; altera duntaxat die ae-
 gram lenis adgressa est febris, per sudorem mox
 soluta. Urina 1 et 2 die post operationem conti-
 nuo per catheterem stillabat, nullo humore in va-
 gina conspicuo. Ast tertia die, filis relaxatis,
 urina denuo in vagina copiosior apparuit, efflu-
 viis ejus per catheterem diminuto.

Die 4. ligaminibus ac filis demtis, vulnus solummodo in medio, unius circiter lineae et quadrantis spatio, constrictum fuisse, adeoque pontem quasi inter duas fistulae aperturas, eo ipso formatas, exhibere, animadverti.

Operatio sane quidem laboris irriti speciem prae se ferebat, ast spem haud abjeci, fore, ut secundum periculum melius procederet.

Causas irriti eventus eo removeri posse, arbitratus sum, si margines vulneris dilatarem numerumque suturarum augerem, ut vulneri plura quasi contactus puncta, offerrentur.

Elapsa septimana, aegraque resecta, praemisissis, ut ante, praemittendis, operationem reiteravi; priorem sequens encheiresin, nisi, quod vulneri, nunc in tota ejus superficie magis a me dilatato, quatuor suturas applicabam.

Prima jam die aegra, operationem passa, frigore et aestu correpta est, conquestaque de cephalaea, aestu ac siti; pulsu interim vix febrili. Propinavi infusum Chamomillae cum spiritu Mindereri et syrupo Citri. Lotium modo per catheterem fluebat, vagina sicca,

Die 2. Noctu parum dormiverat, partim ob valetudinem ipsam alienatam, partim ob timorem, ut ajebat, ne deligatio detruderetur. Febris vix ulla.

Die 3. Nox quieta. Mane toto sudaverat corpore, cum levaminis sensu.

Vesperis febris iterum adfuit, simulque aegritudinem abdominis accusavit. Cum duos per dies alvus defecisset, infusum Sambuci cum sulphate Potassae administravi. Vagina heri et hodie perfecte sicca.

Die 4. Nox initio inquieta, ast versus matutinum tempus aegra, alvo prius exonerata, dormiverat; expergefata mediocriter allevatam se sensit.

Carpium jam e vagina sustuli, vulnusque inspiciens, inveni suturas relaxatas, ac foramina, iis effecta, dilatata et suppurantia. Ne fila rumperebantur, ligaminibus caute solutis, illa exemi, laetusque vidi vulnus in omni suo ambitu clausum et coalitum. Extracto ac purgato cathetere, aegra, neglecto me consulendi officio, cum maxima laetitiae significatione lotium misit, quod tamen, cum cicatrix adhuc recens esset, ei stre-

nue interdixi. Nec prius, ac postquam catheterem per duas septimanas gestaverat, permisi, ut sine eo mingeret, quod nunc facile successit. Primis utique diebus frequenter, et quidem quavis fere semihora, mingendi necessitate premebatur, probabiliter ob vesicam, longo tempore ita coarctatam, ut modo paucum lotium continere posset. Ast pedetentim et id incommodi imminutum est sic, ut, exacta hebdomade, omni duntaxat bishorio minxerit. Elapso post operationem mense, retulit mihi aegra, se, quoties deambulationem diutius protraheret, inconsuetam humiditatem in vagina sentire; quod domo manenti haud accidat.

Suscepta exploratione, inveni cicatricem integram, firmam, nec notam omnem internam vaginae superficiem siccam; quapropter illam in errore versari, credidi.

Ast post aliquot dies denuo conquesta, me coegit, ut explorationem repeterem, quo facto, tandem animadverti, pone cicatricem in dextro latere, ubi filum inerat, minutum adesse foramen, per quod vix acus transiret, ex illoque sub ambulatione aliove motu lotium scateret. Foras

tamen vero hoc lapide infernali adustum, paucis diebus perfecte clausum est, aegraque sana domum profecta. Cum hic loci moraretur, infantis motum semper rite sentiebat.

IV.

Historia stricturae intestini recti.

Vir quidam, doctrina liberali politus, 50 annorum, An. 1821 Mens. Junii, me de morbo intestini recti, quocum jam per plures conflictabatur annos, consultum venit; sequentia referens:

Aetate puerili semper fuerat sanus; in juvenili autem aliquoties juventutis erroribus abreptus, quibus tamen prompte provisum est.

Serius, frigus corpore excipiens, atroci rheumatismo succubuerat, longum per tempus omnem medelam eludenti; denique tamen in tantum restitutus fuit, ut pristinum militiae munus sustinere valeret. Dolores artuum reliqui sponte, mensibus aliquot elapsis, evanuerant.

Haemorrhoides 25. aetatis anno ortae sunt, ter quaterve per annum fluentes, caeterum absque omnibus molestiis.

Anno 1814 subito ei urina retenta est, cum dolore atroci in regione vesicae, quod tamen malum cito, remedio laxante porrecto, profligatum fuit. Quum autem haec ischuria brevi post de-
nuo apparuisset, medicus, in auxilium vocatus, per aliquot menses eum curaverat. Hoc temporis spatium, plures calculi cum lotio abierant, cum aegri quidem emolumento, diarrhoea tamen residua, quae vix molesta, aegrum potius allevare videbatur.

Ao. 1817 iterum rheumatismis affligebatur, quibus insuper melancholica animi diathesis conjuncta fuit, ita quidem, ut circa sex septimanas omnem hominum societatem, imo cognatos refugiens, solus in conclavi solitario degeret. Tunc temporis, secundum ejus narrationem, quam plurimum essentialis et elixiriis obrutus fuerat, post quae animi status morbosus et rheumatismi profligati quidem erant, ast eo magis diarrhoea increverat, inde ab Ao. 1814 ad hoc usque tempus nunquam prorsus cessans.

Quamvis aeger nunc jam octies, imo decies per diem, modo liquidam, modo solidiorem alvum deposuisset, nil tamen abnorme animadver-

tere sibi visus erat, quum inprimis diarrhoea dolorum expertus fuisset; haec omnia potius pro vulgari haemorrhoidali passione habita sunt, quoniam pluries haemorrhoides antea fluxerant.

Aeger praeterea mensae lautae et potibus spirituosus magnopere indulserat, ac ventriculo rite semper officia praestante, crediderat, illi utile fore, si consuetam alias quantitatem potulentorum duplicaret; sed haec res eum fefellit, cum morbus ejus, hucusque tolerabilis, in plagam revera cruciantem transiret.

Ad mensem Novembris Ai. 1820 usque, hic morbus sine cura permanserat; cum denique sedes frequentiores et dolentes redditae essent, auxilia imploravit medica.

Consulti medici, morbum fluxum coeliacum esse, pronunciaverant, causam ejus ab arthritica depositione in tubum cibarium derivantes; ad quam cura quoque praecipue directa fuerat. Ast morbus omnia eludens remedia, interna continuo depascebat; sedes nunc magis frequentes, cum doloribus et tenesmo incrementibus; aegrotus emaciatus conspiciebatur, viribus revera fatiscientibus.

Inveni aegrum, qui antea, dum sanus esset, validus ac bene nutritus videbatur, summopere emaciatum, partes molles relaxatas, dependentes, faciem tumidam, colorem luteo-pallidum; pulsum parvum, subtensum, 85 circa ictus in h. minuto absolventem. Aeger saepius subito adeo magnae succumbebat debilitati, ut vix aliquid postulare, vix moveri posset.

Alvinae excretiones, per diem 25 vel trigesies repetitae, pessime olebant, atroci dolore et tenesmo comitatae, valde variabiles erant; nunc enim mixtionem sanguinis et massae puriformis flavidae, nunc saniam foetidam, nunc faeces normales, tenuissimas, ad instar lumbricorum terrestrium abeuntes, exhibebant. Alvum liquidiorum dolores in regione sphincteris, crassiorem vero altiores in recto intestino comitari solebant.

Explorato, digiti ope, recto, detexi circiter sesquipollicem supra sphincterem, indurationem quasi scirrhosam, sensibilem, magnitudine ovum anserinum adaequantem, cujus tamen terminos attingere non potui. Lumen recti per hanc desorganisationem, quae ad utraque latera et prostatam versus magis extendebatur, admodum an-

gustum in regione ossis sacri erat, ut vix digitus intraret. Dolores praeterea atroces et tenesmi, nec non faeces vermiculares, suspicionem mihi moverunt, profundius in intestino stricturam majorem adhuc adesse, quod et exploratio ulterior probavit. Elastico enim cereolo ad 5 fere pollices introducto, ad stricturam valde induratum perveni, quam non nisi cereolus, crassitiem peninae tenuioris referens, penetrare potuit. Quare aegro illico proposui, ut cereolo, ad lumen recti dilatandum, continuo uteretur, quod tamen consilium aeger non est secutus.

Quo ergo pertinax illud malum saltem temperaretur, cura mea eo tetendit, ut morbum ab organo morbozo derivarem, ejusque sensibilitatem minuerem. Ut primo satisfacerem proposito, functionem cutis, diu jam abhinc siccae atque torpentis, intendere studui. Ne vero aeger hac re magis adhuc debilitaretur, pro diaphoretico infusum rad. Valerianae et Serpentariae elegeri, et propter sedandi consilium, mucilaginem Gummi arabici et extractum Nuc. vomicae addidi; pro clystere decoctum sem. Cannabis et herbae Cicuta adhibui; externe regioni ossis sacri linimenta

spirituoso-volatilia cum Opio infricata sunt; abdomini cataplasmata aromatica superdata.

Haec medicamina per aliquot tempus continuavi, morbiq̄ue status in tantum mutatus erat, ut nunc sedes quotidie modo 12 ad 15, doloribusque mitioribus comitatae, appaerent.

Ast haec tolerabilis periodus vix per duos tresve dies permansit, cum subito, ac si incitabilitas denuo nimis aucta esset, ad explosionem producendam, novi tamque atroces tenesmi sese manifestarent, ut aeger summa inquietudine ac debilitate affligeretur.

Hosce accessus initio clysteribus quodammq̄do mitigare licuit, postea nil praestantibus.

In mente mihi nunc erat, causalia magis aggredi momenta. Jam vero, quoniam antea apparatus antarthriticus toto suo ambitu incassum adhibitus esset, illum repetere irritum duxi inceptum. Non ignorans, talia quandoque inflammationem et ulcerationem syphiliticam ac gonorrhoeicam sequi, quater per diem semigranum Colomelanos cum tribus granis extracti Cicutae porrexi; clystere, ex aqua Calcis, extr. Myrrhae aquoso et aqua Laurocerasi, subjuncto. Spasmi intercurrentibus

balnea aromatica, ac pulverem Doweri interdum opposui. Quae quidem cura initio levamen adferre videbatur, haud tamen durable; inprimis clysteres officia recusarunt; quare sepositi, eorumque loco remedia mucilagiuosa obvolvencia adhibita.

Erat postea mihi propositum, quoniam prius gonorrhoea syphilitica, aqua Saturnina repercutta, vel saltem cito profligata erat, illam per cereolos, urethrae immittendos, revocare; ac cereolus tantos procreavit dolores, ut alterum induci non concederet. Neque, morbo adeo provento, multum utilitatis promittebat, licet mihi casus noti sint, ubi haec methodus incipiente morbo cum fructu adhibita fuerit.

Supra memorata, multaque alia simul, et post illa adhibita, remedia, omnino irrita fuerunt, nullamque mutationem in organo adfecto effecerunt; imo, morbus manifesto invaluit. Sedes summopere dolentes ac spasmi comitatae, adeo frequentes erant, ut aegrum fere assiduo sellae insidere oporteret, noctu vix hora unica somno recreatum.

Morbi genus ei nunc perspicue exposui, co-

natusque sum ei persuadere, unicum ejus remedium in continuo usu cereoli, adjuncto quorundam internorum pharmacorum auxilio, situm esse; eoquo perveni, ut haec experiri possem. Vesperi tandem cereolum tenuem magno cum labore introduxi, quod ei dolores atroces excitavit. Praeter opinionem, cereolum per 6 horas aeger retinuit, sine insigni dolore. Extracto cereolo, qui in eoloco, ubi strictura haesit, plane compressus apparuit, alvus copiosa abiit.

Quamvis aeger hac nocte nullo exerceretur alvi profluvio, minime tamen dormivit, valde metuens, ne priori debilitati ac vertigini succumberet. Eodem die alvum sexies cum dolore deposuit et per 5 horas dormivit, morbo non amplius interruptus. Quare aegro meo animus confirmabatur, ut propositae medelae se subjiceret.

Nec mihi nunc spes defuit, fore, ut hanc stricturam continuo cereolorum usu debellarem, effectu votis meis respondente.

Initio cereolorum inductio aegro dolores insignes excitavit, serius tamen eos minus accusabat. Nec magnum levamen sub alvo deponenda non percepit. A tenuibus pedetentim ad crassiq-

res cereoles progressus sum, atque strictura, duobus mensibus exactis, eo perducta est, ut jam facile cereolus, digitum annularem crassitudine aequans, intrudi posset.

Medicamina, hoc temporis spatio, data sunt: extractum Valerianae, ut et Nucis vomicae, Gummi ammoniacum et Spiritus Nitri dulcis; clysteres bini quotidie insuper ex decocto Chinae et gummi Myrrhae cum aqua Laurocerasi admoti.

Cito admodum aegri vires restauratae sunt: comedit ac bibit cum optimo appetitu; atque quotidie, si tempestas id concederet, cum cereolo ambulabat, in universum sorte sua contentus.

Cum vero illi quotidiana cereoli applicatio displiceret, se sine damno illum seponere posse, credidit. Revera alvum nunc quotidie bis terve normalem et sine dolore exoneraverat, at subito denuo dolores atroces et tenesmi prodierunt, mox, iterum applicato cereolo, sublatis. Nunc denuo per quatuor hebdomades cereolis usus est, et, simulac per aliquot dies accessus morborum sine cereolo non redierunt, jam se perfecte sanatum existimans, cereolos rejecit, consilium meum, ut eos per intervalla adhuc continuaret, respiciens.

Ao. 1821, mense Decembris, itér suscepit ad urbem, longe distantem, ubi plerumque perhyemare solebat, ibique iterum eodem morbo correptus est. Quae remedia a medicis ejus nrbi^s adhibita sint, mihi haud innotuit; accepi tantummodo a cognatis, cereolos in usum vocatos haud fuisse, aegrotumque, post novem mensium molestias, sub atrocissimis doloribus, ventrisque et pedum intumescencia, ergo hydropicum mortuum esse.
